# QUÆSTIO
# AN PRINCEPS LEGIBUS SIT SOLUTUS:

*Explicata*

AB

ANDREA SCHEPSIO J. U. D.

*cùm*

*IN INCLYTA MARPURGENSI Academia*

*à*

MAGNIFICO ET CLARISS. VIRO Dn. PHILIPPO MATTHAEO J.U.D. & Professore, ac pro tempore Rectore & promotore,

PUBLICÈ

*JURIS UTRIUSQUE DOctor renunciaretur,*



XXIII. die Augusti.

*ADDITAE SUNT IN FINE THESES AB EODEM pro consequendo Doctoratus gradu publice proposita & defensa.*



MARPURGI CATTORUM.

*Excudebat Paulus Egenolphus. Anno Christi*

CIƆ IƆ XCVI.

k.

MAGNIFICIS, STRENUIS AC Nobiliſſimis, ſapientia, eruditione, virtute, pietate, & dignitate, ampliſſimis, ſpectatiſſimisq; viris, Dn. Præfecto, Dominis Conſulibus, & Senatoribus Inclytæ Reipublicæ Vratislavienſis:



*IN EADEM ILLVSTRI REPVBLICA Patritÿs nobiliſsimis & celebratiſsimis, Dn.* SIGISMUNDO ET CHRISTOPHORO UTHMANNIS *à Schmoltz, in Lambsfeld, & Roſenthal, cæterisq; eiuſdem Nobilis, vetuſtæ, & laudatiſsimæ familiæ Vthmannicæ Agnatis & Cognatis:*

Dominis ac Mecœnatibus ſuis beneficis, perpetuæq; gratitudinis & reverentiæ cultu proſequendis, colendisq;:

Suam quæſtionem de ſummi Principis jure, theſesque miſcellaneas ex jure Romano paſſim deſumptas, donec DEUS, fons omnis juris, aliquantò poſt benignè largiatur majora:

*Offert & dicat:*

Andreas Scheps,
J. U. D.

# QUÆSTIO
## AB
## INGENUO OPTIMAEQUE SPEI PUERO, FILIO MAGNIFICI ET Clarissimi Viri Dn. Philippi Matthæi J. U. D. & Academiæ Rectoris proposita.



*Nter varias quæstiones variè à Jureconsultis disputatas vel primum sibi vendicat locum illa quæstio:* An princeps legibus sit solutus nec ne? *Quam in præsenti movere libet. Affirmativam verò eius quæstionis sententiam Dn. Candidatus nuper in publica disputatione, pro Doctoratus gradu jam jam consequendo, instituta, amplectebatur, atq; num etiam, ut puto, amplectitur. Multa verò sunt, quæ illi sententiæ resistunt, quæq; efficiunt, quò minus primo statim aspectu subscribere eidem possim.*

*An non enim hæc sententia bipatentes fenestras tyrannidi patefacit? Equidem qui à legum obligatione Principem absoluit, quid quæso aliud facit, quàm ut bonum etiam Principis animum, ad illicita quæq; totius Imperij cum dedecore tentanda, incitet? Leges quippe honestarum actionum & virtutum omnium meta sunt: quam si egredi liceat Principi, utiq; id eidem agere licebit, quod rationi, quod honestati, quod deniq; virtuti repugnet.* Ut *enim intra metam à legibus præscriptam omnia sunt honesta, ita extra eandem omnia honestati repugnant.*

*Deinde, an non hæc ipsa sententia seditionis fœcundissima parens est? Ponamus enim Principem legibus esse solutum: dicamus, secundum leges vivere eum non compelli: statuamus, posse eum sua pro libidine contra leges facere quod vult: quid sequetur? Inobedientia subditorum, fremitus contra Principem, calamitas, & extrema imperij destructio. Vi-*

*dentes enim subditi, omnia licere Principi, seq; per idipsum à Principe negligi, pro amore, quo complecti debebant Principem odium concipiēt: obsequium insuper in fremitus & seditiosos conatus convertetur.*

*Præterea, si interficere licet tyrannum, quis credat Principem legibus solutum esse? Si enim justa & licita est tyranni interfectio, præcessit eam injustum tyranni factum & crimen: si crimen præcessit, verum est, tyrannum delinquere: si delinquit, falsum profectò, legibus eum non ligari. Is enim delinquit, qui facit, quod per leges facere nequit. At qui legibus est solutus, quicquid faciat, perinde est: dicīq; de facto illo nequit, id vel contra vel secundùm leges factum esse. Aut ergo Princeps legibus solutus non est, aut si solutus est, propter tyrannidem interfici nequit.*

*Ad hæc si ex potestatis plenitudine Princeps subditis bona auferre nequit, falsum profectò est, legibus eum nō teneri: cùm si non teneretur, bona pro arbitrio auferre subditis posset.*

*Si insuper Augusta, Ulpiano teste, legibus soluta non est, cur Augustum legibus solutum dicemus: maximè cum illa etiam majestate, legesq; condendi potestate prædita esse videatur. Quod vel Theodoræ Justiniani Imperatoris Augustæ exemplo probari potest: quam in consilium adhibuit Justinianus legē laturus: ut ex Nov. 8. c. 1. in pr. apparet.*

*Quid multis? Si naturalibus & gentium legibus Princeps solutus non est, nullis omnino legibus solutus meritò dicitur: Civiles quippe leges ex naturalibus sunt compositæ.*

*Moveor etiam inscriptione* l. 32 ff. de ll. *ex qua, si ullis legibus solutum esse Principem dici oportet, dicerem cum Cujacio, de caducariis legibus intelligi id debere.*

*Moveor non minus* l. 3. C. de testam. *ex qua, si Cujacii sententia nodum fortè non solvit, dicerem cum Donello, Corasio & aliis, solennibus juris Principem non teneri.*

*Moveor item* l. ex imperfecto 23. ff. de legat. 3. *ubi Paulus, Principem legibus solutum videri dicit: Aliud verò est, solutum videri, & reverâ solutum esse.*

*Moveor deniq; omnium maximè* l. 4. C. de ll. l. 3. C. de testament. *ubi ipsimet Imperatores, juxta leges se vivere, fatentur. Minimè verò id faterentur, minimè juxta leges viverent si legibus soluti essent.*

*Hisce dubitandi rationibus ubi satisfecerit Dn. Candidatus, suamq; simul sententiam evidentibus argumentis confirmaverit, legibus solutum esse Principem, credam.*



# *RESPONSIO.*



ST ita, ut audivistis, Magnifice Domine Rector, Reverẽde & Nobilissime Ordinis Teutonici Commendator, Amplissime Domine Procãcellarie, Reverendi Clarissimi, Consultissimi, Prudentissimi & præstantissimi viri, Domini, Præceptores, Patroni & fautores observandi, tuque nobilissima & præstantissima studiosæ juventutis corona. Difficilis & obscura est quæstio: *An Princeps legibus sit solutus, nec ne?* Difficultatis & obscuritatis causa unica est obscuritas, cui majestatis jura ab omnibus penè scriptoribus politicis involuta sunt. Obscuritas itaque obscuritatem peperit. Sive enim Platonis, sive Aristotelis, sive aliorum, qui de republica deque imperiis in universum, in thesi vel hypothesi, quicquam scripserũt, libros legamus, relegamus, volvamus, evolvamus: neminem inveniemus, qui majestatem imperii vel definierit, nedum, qui plenè & perfectè eandem explicuerit.

Solus, quod ſciam, Bodinus, omnium politicorum πολιτικώτατος, primus id effecit: ſolus is majeſtatis jura à nemine definita definivit, à nemine explicata explicuit: quæq; Cymmeriis prius involuta erant tenebris, meridiano ſoli primus expoſuit.

Bodinum ergo audiamus, & expedita erit ſententia: *Principem omnimodo legibus ſolutum eſſe*: expedita itidem erunt eius ſententiæ fundamenta: facilis deniq; ad omnes omnium diſſentientium objectiones erit reſponſio.

Utq; mihi pro Bodino loquenti, quæſtionemq; propoſitam, ſine Aſiatica verborū prolixitate, ſine Laconica item brevitate, explicanti, auguſtiſſimus hic conſeſſus, numeroſaq; ac præſtantiſſima ſtudioſæ juventutis corona benevolas accommodet aures, obnixè peto.

Majestatem Imperii ita definit Bodinus, *1. de republ. 8. in pr.* quòd ſit poteſtas politica in cives & ſubditos, ſumma, perpetua, legibusque ſoluta: græcis ἄκρα ἐξουσία, κυρία ἀρχὴ, κύριον πολίτευμα, Latinis abſoluta poteſtas, abſoluta juriſdictio, poteſtatis plenitudo, eodem ſenſu dicta.

Breuis eſt definitio, ſed eiuſmodi, ut ex ea, quònam argumento, Principem legibus ſolutum eſſe, probare velim, quilibet animadvertere jamdudum poſſit.

Si enim eſt aliqua Imperii majeſtas legibus ſoluta: quidni & Principes majeſtate illa præditi legibus ſoluti ſint? Tantùm ergo probabo, eſſe aliquam poteſtatem Summam, perpetuam, legibusque solutam; & probata erunt omnia.

Summa Potestas, eſt poteſtas illa, quæ poſt Dei immortalis poteſtatem inter homines ſeipſa majorem non agnoſcit. Etenim multæ in quolibet imperio ſunt poteſtates, imperia multa: una verò illarum poteſtatum ſemper eſt prima, quā ſummam hîc nomino. Exemplo ſit imperium Romanum. Eſt & fuit in eo imperio inde à primis eius incunabulis poteſtas patria, poteſtas maritalis. Fuit in eodem imperio quondam alia poteſtas

poteſtas magiſtratus urbani majoris, in Democratico quidem ſtatu, Senatorum, Tribuni plebis, Prætorum: in Monarchico ſtatu, Præfecti prætorio, Comitis ſacrarum largitionum, Comitis rerum privatarum, comitis ſacri patrimonii, Magiſtri militum, Magiſtri officiorum. Fuit inſuper alia poteſtas magiſtratus urbani minoris, utpote Quæſtoris, Præfecti annonæ, Præfecti vigilum. Fuit prętérea poteſtas alia provincialis magiſtratus, in Democratico ſtatu Proconſulis, Proconſulis legati: in Monarchico ſtatu, Præſidis provinciæ, Vicarii, Præfecti auguſtalis, Juridici Alexandriæ, Rectoris provinciæ, Procuratoris Cæſaris, Procuratoris domus, Procuratoris rei dominicę. Fuit denique alia poteſtas magiſtratus municipalis, Curiæ puta, Decurionum, Duumvirorum, Defenſorum. Eſt in eodem imperio adhuc hodie, à Caroli M. temporibus, alia poteſtas Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum. Eſt item alia poteſtas Ducum, Principum, Marchionum, Landtgraviorum, Comitum Palatinorum, Comitum, Baronum, Nobilium, Civitatum denique omnium, quotquot Romanogermanico imperio mediatè vel immediatè ſunt ſubjectæ. Harum verò poteſtatum omniũ aliqua ſemper fuit prima, earundem procreatrix, conſervatrix & gubernatrix, atque num etiam eſt. Senatores enim, Prætores, Proconſules, Proconſulum legatos, Decuriones, creavit, cõſervavit, & gubernavit in democratico ſtatu Populus. Præfectos prætorio, *ſi Dioni lib. 55. in pr. ſi Suetonio in vita Auguſti c. 37. ſi Victori Aureliano, ſi deniq; aliis credimus*, creavit, conſervavit & gubernavit Auguſtus: conſervarunt & gubernarunt eoſdem Imperatores reliqui. Præfectos urbi, *ſi Feneſtellæ c. 6. de magiſtratibus Romanis, ſi Eberlino c. 31. de O. I. ſi deniq; aliis fidem habemus*, crearunt, conſervarunt, & gubernarunt in regio ſtatu reges: conſervavit & gubernavit eoſdem in democratico ſtatu populus: conſervarunt denique & gubernarunt eoſdem in Imperatorio ſtatu, Julius Cæſar, Auguſtus, & Imperatores reliqui. Magiſtros militum porrò, creavit, con-

 ſervavit,

ſervavit,& gubernavit Conſtantinus: conſervarunt & gubernarunt eoſdem Conſtantius, Julianus, Jovianus,Valentinianus,& reliqui Imperatores Conſtantinum ſecuti. Ac,ne in enumeranda Magiſtratuum Romanorum omnium origine nimis ſim prolixus,Archiepiſcopos,Epiſcopos,Abbates,Abbatiſſas, Duces, Principes,Marchiones, Lādgravios,Comites palatinos, Comites,Barones,creavit,cōſervavit,& gubernavit primus omniū Carolus Magnus:conſervarunt & gubernarunt eoſdē reliqui Imperatores inviĉtiſſimi Carolum Magnū ſecuti: eoſdemq́; totumq́; adeo Romanogermanicum hoc imperium,inviĉtiſſimus ac clementiſſimus,Imperator noſter RUDOLPHUS II,adhuc hodie clementer conſervat & gubernat,maximisq́; militum copiis adverſus Turcicam tyrannidem defendit & propugnat. Talisq́; in univerſum cuiuslibet magiſtratus poteſtas ſemper fuit, atque num etiam eſt, qualem eam procreans & conſervans eſſe voluit. Si cui juriſdiĉtio ſola eſſet conceſſa, hac ſola utebatur: ſi cum juriſdiĉtione ſimul conceſſum alicui eſſet imperium, utebatur & hoc,ſaltem in cauſis ad juriſdiĉtionem ſuam pertinentibus,inter perſonas juriſdiĉtioni ſuę ſubjectas,& deniq; in loco ac territorio ſibi definito. Idq́ue eſt, quod *in l.2.in pr ff.ſi quis in jus.voc.non ier l.3.in pr.ff.de poſtulan.l.16.§ 5.ff.de minorib.* dicitur: *magiſtratum ſecundùm ſuam juriſdictionem*, vel quod idem eſt, *ſecundùm modum juriſdictionis ſuæ judicare & jus dicere debere.* Id etiam eſt, quod *in l. fin.ff. de juriſdict.* dicitur: *extra territorium jus dicenti impunè non pareri, idemq́; eſſe, ſi ſupra juriſdictionem ſuam dicere jus velit.* Id deniq; eſt,quod *in l.8.ff. de calumniat. l. 78.§.1.ff. de leg.3.l.5.pr.ff.de re jud.l.3. C.pro ſoc.l.6. C.de excuſ. tut. l. 4.C.de diſtract.pign.* & alibi extat: cum tandem magiſtratum judicare & jus dicere debere, *cujus ea de re notio eſt.* Neq; aliter fieri oportuit, aut num etiam poteſt. Ut enim totum hoc καλὸν πόιημα, ſine potentiſſima Dei omnipotentis creatione non extitit,ſeq; ipſum nō fecit:utq; per ſe ipſum,ſine ſapientiſſima eiuſdem omnipotētis Dei gubernatione,

tione tot retrò ſeculis non ſubſtitit, neque num etiam ſubſiſtit: ita varias in aliquo imperio poteſtates, ſine ſummæ & primæ alicujus poteſtatis creatione, gubernatione, & conſervatione, exiſtere, aut ſubſiſtere, nulla ratio permittit. Ut præterea animę noſtræ facultates gubernatrices actionum omnium, tum demum, uti par eſt, ſuo defunguntur officio, ſi intellectus, regis inſtar, ad rerum quaſi gubernacula ſedens, clavumq; imperii tenẽs, reliquis facultatibus præſit, iiſdem imperet, facienda fieri jubeat, omittenda fieri vetet: ſi deinde voluntas, fideliſſimi Cancellarii inſtar, intellectui adſtet, eundemq; in quolibet negocio confirmet: ſi præterea affectus data ſibi poteſtate amandi vel odio habendi rem objectam, benè utantur: ſi denique locomotivæ, ſubditorum inſtar, affectibus, tanquam legitimo ſuo magiſtratui, in primis verò intellectui, tanquam ſummo ſuo Principi, obtemperent, idq; tantum aggrediantur, faciant, & executioni tradant, quod affectibus ordinatis, quòd item intellectui & voluntati cõſentaneum eſſe vident: ita in imperio quolibet tum demum benè & feliciter omnia geruntur, ſi ſumma aliqua ſit poteſtas, quæ reliquas poteſtates omnes conſtituat, gubernet, augeat, minuat, proroget, abroget, ſubditosque in univerſum, tam præditos quã privatos poteſtate ordinaria, imperii ſplẽdore perfundat, & divina quaſi majeſtate & authoritate obumbret, ſingulosq; clementer regat & obſervet. Utq; viciſſim totam hanc mundi machinam ſapientiſſima Dei omnipotentis gubernatione deſtitutam perire, & ad nihilum redigi oportet: utque animam noſtram ſuaviſſimo facultatum omnium concentu, ab intellectus imperio pendẽte, privatam, ad quęvis ſcelera delabi, per eamq; in immenſam miſeriarum voraginem conjici hominem oportet: ita ſine ſumma poteſtate, quodlibet imperium diu ſubſiſtere, & cyclopicam anarchiam, in qua, velut in cyclopico antro, ὐδεὶς ὐδενὸς ὐδὲν, quod trito dicitur proverbio, audiat, diu evitare nequit. Idq; animadvertentes Legumlatores ethnici, Deos ſeſe ſalutari & no-

minari voluerunt, tantùm eo fine, ut apud eos, qui accepturi erāt leges, maior ipsorum esset authoritas. Ita enim Persas Zoroastem, Thebanos Mercurium, Aegyptios Trimegistum, Celtas Herculem, Cretenses Minoëm, Carthaginenses Charondam, Lacedæmonios Lycurgum, Athenienses Draconem, Romanos Romulū, Italos Pythagoram, Locrenses Saleucum, Siculos Platonē, aliosq; alios divinis affecisse honoribus legimus. Utq; maior per omnia & in omnibus cū imperii tum legum latarū esset authoritas, illi ipsi Legūlatores divinis affecti honoribus, potestatem suam Deo alicui tulêre acceptam, alius quidē Jovi, alius Soli, alius Minervæ; & quidē vel Jovi, vel Soli, vel Minervæ tantùm; nulli DEORUM præterea. Quod ideo factū esse opinor, cum tribus illis numinibus tribuerent, ab jisq; peterent, quæ in Imperatore, in magistratu, in judice desiderari viderent. Jovi enim clementiā, Soli potentiam, Minervæ sapientiam tribuebant. Quibus in Principe, in magistratu, in judice concurrentibus, nihil est, quod desideretur amplius. Alii tamē Cererem prędictis numinibus annumerare soliti sunt: fortè propter frugalitatē, quæ non modo Principē, magistratū, & judicem valde commendat, sed & magnū imperii & reipublicę fulcrū esse solet, utpote cuj⁹ intersit, ne quis re sua malè utatur. Quo illud Ovidii 5. metamor. pertinet:

*Prima Ceres unco glebas dimovit aratro:*
*Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris:*
*Prima dedit leges: Cereris sunt omnia munus.*

Hæcq; veterum Ethnicorum consuetudo fuit. Quātò rectius verò, quantoq; meliori cum fundamento, Christiani Legumlatores, Imperatores, magistratus, & judices Deos sese nominant; cum ipse Salvator noster eo illos nomine dignetur: dum inquit: *Iohan. 10. vers. 34: Dixi, vos dÿ estis.* Quā vocem ut ad magistratus omnes pertinere non diffitear: ad eos tamen, qui summa potestate præditi sunt, quiq; magistratibus ipsis præsunt, vel in primis pertinet. Hi enim verè Deo proximi, Deoque simillimi.

Dei q

Deiq; vivens & spirans imago sunt, mediumq; inter Deũ & homines locum obtinent, Deumq; solum imperare sibi patiuntur, homines verò universos, quotquot in Imperio sunt, obtemperare sibi jubent. Quis verò est, qui summam hanc potestatem habet? quis est, qui post Deum immortalem se maiorem videt neminem? quis est, qui post Deum immortalem subditus est nemini? quis est, qui rerum à se gestarum, nemini, præterquam immortali Deo, rationem reddere cogitur? quis denique est, cui magistratus omnes, unà cum subditis omnibus sibi subjectis obtemperant? Est in Democratia Populus: est in Monarchia Imperator: sunt deniq; in Aristocratia Optimates. Tot ergo summæ sunt potestates, quot sunt imperia: tot item imperia sunt, quot sunt imperiorum formæ: formæ insuper imperiorum tot, quot imperandi modi. Etenim, aut unus imperat, estq; imperium monarchicum: aut imperant plures, estq; imperium aristocraticum; aut deniq; imperant omnes, estq; imperium democraticũ. Quartus imperandi modus, quarta imperii forma, quartum deniq; imperium nullum est. Adeoq; uni etiam urbi nullis provinciis, nullisq; municipiis auctę, suisq; tantum portis, pomœriis, & mœnibus conclusæ, summã potestatem, statumq; vel monarchicum, vel aristocraticum, vel deniq; democraticũ tribuere possumus: urbisq; unius imperium à multarum urbiũ imperio quantitate sola differt: quoad formam differentia nulla est. Idq; intelligens quondam Eumenes, cum, fractis opibus, nihil præter arcem, in qua obsidebatur, suum dicere posset, iamque de pace inter ipsum & Antigonum Asiæ regem ageretur, ipseque Antigonus, ut potentia & opibus erat superior, sic etiam dignitate & potestate superior videri vellet, infracto animo legatis Antigoni respondit: Superiorem se neminem accepturum, quamdiu gladium exertum manu teneret: innuens hoc ipso, summam potestatem neq; locorum spatiis, neq; regionum multitudine definiri: eandemq; sibi, unam arcẽ possidenti,

 non

non minus quàm Antigono totius Asiæ domino competere. *Plutarchus in Eumene. Bodin.1.de republ.9.* Estq; illa tantùm potestas summa, quæ simul est perpetua, legibusq; soluta. Si quæ verò potestas summa est non perpetua, legibusque non soluta, ea videri quidem summa potest, verè tamen summa non est. Propria enim summæ potestatis effecta sunt: potestas perpetua: potestas legibus soluta: eidemq; in quolibet subjecto cohærent, neq; separari ab eadem ulla ratione, ullóve modo, possunt. Ex quo id etiam est, ut integrales majestatis partes rectè dicantur, potestas summa, potestas perpetua, potestas legibus soluta, adeò, ut quemadmodum integrum sine membris non est, quemadmodum homo sine anima, anima sine ratione, ratio sine harmonia, harmonia sine proportione, proportio sine numero, numerus sine unitate, unitas sine termino, non est, quemadmodum insuper corpus humanum non est, si caput à trunco sit avulsum, quēadmodum deniq; manus non est, si digiti sint abscissi, ita etiam majestas non sit, si una ex prædictis potestatibus desit. Neq; ergo Dictatorem Romanum, neque Harmosten Lacædemoniorum, neque Esymnetum Thessalorum; neque Archonta Melitensium, neque Baliam Florentinorum, summam potestatem habuisse quisquam dixerit, cum perpetuam potestatem nemo illorum habuerit: utcunque summa quorumlibet potestas videri potuerit, aut videri num etiam aliquibus possit. Romanorum equidem Dictatori, (ut de reliquis nihil dicam) perpetuum imperium non fuisse, omnia omnium historicorum monumēta comprobant: ex quibus hoc abundè probatur, non nisi improvisam necessitatem, puta belli gerendi, seditionis sedandę, reipublicæ constituendæ, magistratus creandi, & si quæ sunt hujusmodi, omnem omninò Dictaturam peperisse. Ut ergo, existente necessitate, extitit Dictator, ita eadem necessitate intercidente, eius etiam imperium meritò unà intercidit, finemque accepit. Neque hoc solùm argumento est, summam Dictatoris Romani potesta-

potestatem non fuisse, quia perpetua non fuit: sunt & alia. An non enim appellare à Dictatoris sententia licuit? Fabius equidē Maximus, Equitum Magister, cum à Papirio Dictatore capitis esset damnatus, ad Tribunos provocavit, ex eaq; provocatione populi judicio liberatus est. Provocarunt & alii. Quid verò provocatio & appellatio ista præ se tulit? an non potestatem aliquam Dictatoris potestate maiorem? Ita profectò est. In eo enim omnis appellationis forma consistit, ut per eam à judice inferiori ad superiorem judicem eatur. Si ergo dictator summam potestatem habuit; quomodo appellari ab eo potuit? quomodo ab eo tanquam à judice inferiori ad superiorem judicem iri potuit? Aut, si appellare ab eo licuit, quomodo summa eius potestas fuit? Quamvis etiam initio Dictatores eo uterentur privilegio, ne ab ipsorum sententiis appellare cuiquam liceret, ne sic tamen summam potestatem tum eos habuisse, putandum est. Etsi enim, appellari ab aliquo non posse, per se summæ & absolutæ potestatis sive jurisdictionis effectum sit proprium, per accidens tamen, commune effectum jurisdictionis summæ, & jurisdictionis privilegiatæ, vel, quod idem est, specialiter concessæ, efficitur. Estque accidens illud, *privilegium*, sive *specialis concessio*, inter summum Principem, qui concedit, & magistratum, qui concessam accipit; ut relatio inter fundamentum & terminum existens. Quomodo & quo jure privilegiato à præfecti prætorio sententiis appellare itidem non licebat: ut ex *l.un ff. de off præf. prat. l.un. C. de sent. præf. prat. l.4. C. de precib. Imp. offer.* apparet. Idemque privilegium superioribus etiam seculis Electoribus Imperii, Regi scilicet Bohemiæ, Archiepiscopo Moguntinensi, Trevirensi, Coloniensi, Principi Saxoniæ, Brandeburgico; & Palatino, invictissimæ memoriæ Carolus IV. Imperator tribuit, inter alia Aureæ suæ Bullæ capita constituens, ne ab ipsorum sententiis ad aliquod superius judicium iretur. Quo ipso tamen privilegio, Cameræ judicio postea per Maximilianum

I. Wormatiæ Anno 1495. constituto, hodie, propter desuetudinē præteritam, pleriq; non utuntur. Quod si ergo illi ipsi Præfecti prætorio summam potestatem non habuerunt, ob id, quod appellare ab illorum sententia nemini licebat, quod in integrum restitutionē nō nisi ab ipsis petere nemo poterat: quînam Dictatori hoc ipso argumento summam potestatem tribuere poterimus? Verùm enimvero objiciat aliquis: legitimam Dictatoris Romani jurisdictionem non fuisse? Fateor: idque ex Dionysio Halicarnassæo *lib. 10. antiq. Rom.* probari recordor: ubi Dictatoribus νόμιμοι ἀρχαὶ, id est, legitimi magistratus opponuntur: quæ oppositio ratione careret, si Dictatorum jurisdictionem legitimam sive ordinariam fuisse cum ratione dici posset. Si ergo, inquiet aliquis porrò, legitima Dictatoris jurisdictio non fuit, fuit absoluta & summa, hæc sola enim legitimæ opponitur? Concedo: sed inter absolutam potestatem, quæ verè, & quasi absoluta est, distinguo. Quasi absolutam, quasi summam potestatem, habuit Dictator, utpote maiori potestate, legibus & tempore definitam, verè absolutam, verè summam, maioris scilicet potestatis, legum & temporis expertem non habuit. Sique uno dicendum est verbo, quidnam Romanorum Dictator fuerit, Curatorem imperii eum fuisse, dico: imperatorem fuisse, nego. De magistratibus Romanis nihil dicam. Eos enim summam potestatem non habuisse, quilibet intelligit, & intelligit inde, cum ordinaria illorum potestas fuerit, populo scilicet in democratico, imperatoribus in monarchico imperii statu subordinata, quasique substrata. Errantque vehementer Polydorus Virgilius, *lib. 2. de inventorib. rer. c. 3. post pr.* Mynsingerus *in §. Senatusconsult. 5. Inst. de I. n. g. c.* & alii, dum, imperantibus jusq; dicentibus Senatoribus Romanis, aristocraticū Romani imperii statum fuisse, contendunt. Si enim id ita est, quomodo penes Populum summa potestas remansit? Remansisse verò vel id argumento est, cum existente magistratu

Sena-

Senatorio,eodemq; rogante,leges Populus tulerit. Argumento præterea id etiam est, quòd moveri Senatu poterant, qui meriti essent, moveri,inquam,non à Senatoribus reliquis,sed à Populo, & Censoribus Populi vicem gerentibus. Exemplo est C.Fabricius Censor, qui P. Cornelium Ruffinum,virum patritium, senatu amovit, quod decem pondo argenti facti pro convivio apposuisset. Exemplo item est M. Cato Censor,qui C. Flaminii fratrem Senatu ejecit, quòd exoratus à scorto,ut aliquẽ ex iis,qui in vinculis erant,securi percuteret,obtemperasset. *Fenestella de magistratibus Romanis, c.17.* Exemplo deniq; sunt alii: de quibus prolixè hic me disserere tempus non sinit. Quid multis? imperantibus Julio Cæsare, Augusto, Tiberio, Caligula, Nerone, Galba Otthone, Vitellio, Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva, Hadriano, D. Pio, M. Aelio Antonino & Vero, Severo, Caracalla, Heliogabalo, Alexandro, Maximino, Gordiano, Philippo, Decio, cæterisque Imperatoribus, monarchicum fuisse Romanì imperii statum, nemo unquam dubitavit. Penes Imperatores ergo summa fuit potestas: penes Senatum non fuit: utcunq; illorum etiam temporibus magnum huius esset decus, magna authoritas: usq; adeò, ut ipsi etiam Imperatores suum inter Senatores & Consules nomen profiterentur, subindeq; orationibus per Cãdidatos in Senatu recitatis, Senatores persuaderent, ut, quòd vellent, ipsi Senatus consulto firmarent. Quarũ orationum exempla *in l.cum hi. 8.pr.ff. de transact.l.si & rem.22.ff. de pet.hered.l.Divus Pius.3.ff.de fugitivis.l.oratio.16.ff.de sponsalibus. l. oratione. 16. l.si quis. 60.l. non solum. 67.§.3.ff. de ritu nupt.l.cum hic status.32.in pr.ff.de donat. inter vir. & ux.l.1.ff.de reb.cor.qui sub tut. l.1. §.3.ff. ne de statu de functi. l. certum 6. §.2.ff. de confessis.l.post rem 56. ff. de re jud. l. etsi is. 9. C.de præd. minor. l. licet. 17. C. de excus. tut. l.2. C. de curatore furiosi. l. pen. C.de his qua ut indign. l. fin. C. de testam. manumis. & passim in aliis legibus* obvia sunt. Ac quis nescit, in Democratico etiam Romani im-

perii statu nullam nisi extraordinariam Senatorum jurisdictionem fuisse, in conjurationibus scilicet adversus rempublicam, inque aliis criminibus publicum statum concernentibus, & deniq; in casibus, in quibus Populus cognitionem habens ad Senatum eandem referebat? Quis item nescit, solitum fuisse populum referre ad Senatum de legibus, de comitiis, de bello, de pace, de provinciis, de ærario, de vectigalibus, deq; aliis ad reipublicæ statum pertinentibus? Quis denique nescit, decrevisse Senatum in prædictis omnibus, Populumq; id quod à Senatu erat decretum, jussisse, & jussisse quidem si vellet, non jussisse, si nollet? *Bodin. 1. de republ. 10. pag. 198. Dn. Vult. 1. IR. 13. n. 18.* Quæ omnia manifestè contra summam & absolutam Senatus Romani potestatem, tum etiam contra Aristocraticum Romani imperii statum, qui nullus unquam fuit, militant, solideq; eundem refutant.

De Germaniæ Ducibus & Principibus quid dicam? summā ne illis potestatem tribuam? Tribuerem lubens, si per veritatem liceret. An enim summa potestate præditi viderentur, qui Vasallos & fiduciarios alterius sese profitentur? qui investituram accipiunt? qui fidelitatem promittunt? Minimè. Cujus ergo inquies Vasalli sunt? Invictissimi Imperatoris Germanici: qui tanquam verus Imperator, in verè monarchico Germaniæ Imperio, summam potestatem solus verè & propriè obtinet: utcunque Bodinus, cui de vero Germaniæ nostræ statu parum constitit, idipsum *lib. 1. de republ. c. 9.* neget. Quem & ex Germanis nostris aliqui sequuntur: quod miror. Refutabitur verò ipsorum sententia abundè, ex iis quæ præstantissimus IC. Dn. HIERONYMUS TREUTLERUS, *libro 1. exercitationum suarum brevi publicandarum c. 4. & 5.* scribit, ubi plurima ad Germaniæ statum pertinentia, paucisque nota, benevolus lector inveniet. Ac erigite quæso paulisper animos vestros, Auditores, cogitate, quis de regalibus imperii nostri feudis cognoscat? an Camera? an Imperator? cogitate, quis Electores confirmet, & mutet? Animadver-

madvertite, quis Principes, quis Comites, quis Nobiles quotidie creet? Perpendite, quis Academias constituat? cuius nomine passim in omnibus Germaniæ Academiis Doctores pronuncietur? Ponite vobis ob oculos omniũ Principũ Germanicorũ originẽ. Adspicite Illustrissimũ Principem Ernestum Electorem Coloniensem, quẽ Rudolphus II. hoc tempore Imperator Augustus investivit. Suspicite magnanimũ illũ, bellicosissimũ, & fortunatissimũ heroẽm, felicissimumq; hactenus Turcici imperii hostem, Transylvaniæ Wayvvodam, cui propter heroicam virtutem, qua multoties recentioribus hisce annis admirabili & penè inaudito cũ successu cõtra Turcicũ exercitum pugnavit, eundemq; à cervicibus nostris depulit, idem Imperator clementissimus superiori anno Principum Romani imperii dignitatem & fastigium attribuit. Oculos denique convertite in Carolum, Comitem Mansfeldicum, laudatissimæ memoriæ bellatorem, quem similiter propter eximia virtutis & experientiæ bellicæ studia ac specimina idem Cęsar, non ex speciali Electorum Imperialiũ aut alterius concessione, sed ex proprio majestatis jure, sibi tanquã vero Imperatori competente, Imperii Principem nuper renunciavit. Totã deniq; Germaniæ nostræ faciem probè considerate: attendite, ubi per totum Romanogermanicum hoc imperiũ MAJESTATIS vox audiatur: an in aula Austriaca? Saxonica? Brãdeburgica? Hassiaca? Bavarica? Ipsiq; dicetis, ibi summã potestatem & majestatem suã fixisse sedem, ubi nomen eius auditur. Dicetis à majestatis appellatione omnes omnino Germanię Duces & Principes meritò sibi tẽperare, & pro ea Serenitatis aut Celsitudinis titulo contentos esse. Dicetis in sola Imperatoris aula *Majestatis* vocẽ jure audiri. Cõsideratis deniq; & probè perpẽsis reb⁹ omnibus, fatebimini ultrò, Germaniæ nostræ Imperium verẽ monarchicũ esse: omniaq; majestatis jura per se Invictissimo Imperatori nostro RUDOLPHO II. cõpetere: omnes omninò Germanię Principes eiusdẽ vasallos esse: neminiq; illorũ summam potestatẽ verẽ

C &pro-

& propriè tribui posse. Ut ergo, præteritis aliorum Principum nominibus, qui vel in Italia, vel in Gallia, vel alibi eodem jure utuntur, uno dicam verbo, quod res est, dico generaliter: nulli fiduciario principi quatenus fiduciario, summam potestatem & majestatem competere. Suntq; omnimodo contraria, fiduciarium esse, & summam potestatem ac majestatem habere, neq; in eundem Principem, eodem tempore, eodemq; respectu cadere ulla ratione possunt. Quòd si in Germaniæ Principibus id jus est; quantò minus Imperiales VRBES, quæ LIBERÆ vulgo dicuntur, summam potestatem jusque majestatis vindicare suo sibi jure poterunt? Neque ergo Argentina, neque Nurenberga, neque Vlma, neque Lubeca, neque aliæ Urbes prædictis similes, summam potestatem & majestatem habent. Quæque libertas ab illis appellatur, vera libertas non est, obsequio scilicet opposita: est à muneribus quibusdam vacatio: est item vectigalium & tributorum quorundam immunitas, vel, ad summum, est reipublicæ, per magistratus ex placito & usu temporis constituendæ potestas, à Romanis Imperatoribus ante hæc tempora, sine ulla majestatis diminutione, ipsis concessa. Quò etiam fit, ut illæ ipsæ urbes adhuc hodie decus Germanici Imperii venerentur, comitiorum decreta probēt, provocationes sive appellationes ad Cameræ judicium factas recipiant. Minimè vero reciperent, minimè Comitiorum decreta probarent, si summam potestatem & majestatem veramq; libertatē haberent. De Helvetiorum libertate idem judiciū esto. Eam enim, teste Stumpfio, sub Friderico II. Imperatore, acquisitam, & postea armis contra Austriacos confirmatam, neque iam olim aliter Helvetii tenuerunt, neq; nūc aliter, quàm salva Romanigermanici Imperii majestate, tenent. Unde est, ut & olim immunitatis concessę diploma aureis literis scriptum ab eodem Friderico II. Imperatore impetrarint, & verò nunc etiam, quoties Imperator novus eligitur, privilegiorum suorum confirmationem impetrent.

Quod

Quod ipſum ſatis profectò arguit, etiã Helvetios Germanici Imperii majeſtatem comiter obſervare, eidemque ſuam illam libertatem ſubmittere. Sed ad rem. De Advocatis ſive patronis imperiorum & regnorum ultimo loco quid ſtatuendum? Tantum verò abeſt ſummam me his poteſtatem in clientes tribuere, ut omnem potius ipſis poteſtatem adimere auſim. Aliud enim advocatia eſt, aliud poteſtas: alteraq; cum altera confundi nec poteſt, nec debet. Quique in clientelam ſuam imperium vel rempublicam accipit, nihil præter dignitatis ac veræ laudis jucundiſſimos fructus ſperare, ſuosque clientes opibus & auxiliis adverſus hoſtium copias ſine ulla mercede tueri, debet. Quod ſi quid amplius quis paciſcatur, patroni nomen is amittit, perinde, ut, ſi ex commodato lucri quid fiat, commodati nomen perit. Quid ergo? an non Principes, qui in clientela potentioris ſunt, majeſtatem eius in fœderibus comiter obſervare tenentur? Ita eſt: ſed quid inde? nihil omnino: Cliens enim patronum in fœdere eatenus ſuperiorem agnoſcit, quatenus perſonæ ac loci dignitas poſtulat; non quatenus poteſtas requirit, quę nulla omninò eſt. Diſtinguendi ſunt igitur honores: diſtinguendæ honorum cauſæ. Honorat patronum cliens: honorant Principem ſubditi: an eodem modo? Minimè gentium. Subditorum honor ex obſequio eſt: Clientum honor ex obſequio non eſt: Unde ergo? ex defenſione tantùm: cui cum imperio & obſequio nihil penitus eſſe commune quilibet intelligit. Conſtet ergo ex prædictis omnibus, ſummam poteſtatem eſſe, quæ maiori poteſtate definita non ſit: conſtet, ſolum populum in democratia, ſolos Optimates in ariſtocratia, ſolos denique Imperatores in monarchia ſumma poteſtate, & per eam majeſtate prædites eſſe. Videamus porrò de poteſtate perpetua.

Perpetua Potestas eſt, quæ per ſe nullo tempore definitur: quæque tam diu durat, quamdiu imperans & imperium vivit. Vivit imperium, quouſque anima corpori inhæret. Vi-

vit imperium,quousq; imperãdi modus non mutatur. Vivit imperium monarchicum,quousq; imperat unus: vivit imperium aristocraticum, quousq; imperãt optimates: vivit imperium democraticũ,quousq; imperant omnes. Dico perpetuam potestatem esse,quæ per se nullo tempore definitur. Quid illud, PERSI? Hoc addo, Auditores spectatissimi, ut in memoriã vobis revocẽ, quòd supra dicebam, perpetuam potestatem summæ potestatis effectum esse propriũ. Cùm enim summa potestas sit,quæ majori potestate non definitur, quæ nemini paret,quæ à nemine leges accipit,fieri nequit,quin perpetuã potestatem,de qua jã mihi sermo est,tanquam proprium effectum,perpetuò sibi habeat cõjunctã. Ut enim tẽpore definita dicatur potestas,necesse est, esse aliquem,qui definiat: At hìc nemo est:neminem enim audit,nemini obtemperat,qui summã potestatem habet: temporis itaq; definitio nulla hìc est. Tantùm ergo illi per se, verè & propriè, perpetua potestate præditi sunt, qui summa potestate fruuntur: Populus scilicet, in Democratia: Optimates in Aristocratia: Imperator in Monarchia: nemo præterea. Quibus verò ad tempus summa in cives potestas tribuitur,cum pacto,ut ejusdẽ temporis decursu potestatem illam deponant,rerumq; à se gestarum rationem populo vel Principi reddant, illis nec summã nec perpetuã potestatem competere certum est:certum & hoc,summæ & perpetuæ potestatis & majestatis, ac totius adeò imperii apud ipsos quasi depositi, custodes eos esse tãdiu, donec summus Princeps vel Populus id reposcat,cuius ipsi verè domini,possessores& arbitri sunt, etiam tum, quando eo non utuntur. Idq; est quod vulgò dicunt Interpretes, cumulativè non privativè absolutam potestatem, omnemq; jurisdictionem ab eo qui statui præest, id est, à Populo in democratia, à Principe in monarchia, ab optimatib' in aristocratia, subditis concedi. Iterum ergo dicendũ, neq; Dictatorem Romanũ,neq; ullum ex magistratibus Romanis etiã majoribus majestate usum esse, quia perpetua potestate usi non sunt: & vel ideo perpetua potestate usi non sunt, quia summa usi

non

non sunt, summæq; subjecti fuerunt, penes quam & initium & medium & finis omnis omninò magistratus sive ordinariæ jurisdictionis constitit. Ea si vellet, magistratum rogabat, si vellet, prorogabat, si vellet, abrogabat. Nihil ergo in ipso erat magistratu. Utq; magistratus à se, per & propter se non erat, ita quousque vellet, esse non poterat: fuitq; tamdiu, quamdiu vellet is, à quo, per quem, & propter quem institutus erat, ad annum quidē, si voluntas constituentis esset annua, ad biennium, triennium, quinquennium, decennium, vel ultra, si eiusdem superioris voluntati id etiam placeret. Idque in ordinaria magistratus potestate expeditum est. Quid verò si in annos decem summū imperium uni vel pluribus concedatur: quomodo olim apud Athenienses Archon unus summæ in republica potestati præerat, perpetua ne sic potestas & majestas collata videbitur? Ipsi intelligitis, Auditores spectatissimi & præstantissimi, perpetuū non esse, quod decennio definitur. Ipsi intelligitis, majestatem ei non cōpetere, qui post decenniū potestatem sibi creditam deponere, rerumq; à se gestarum rationem reddere cōpellitur. Præterea, quid si potestas summa uni pluribúsve ea lege in annū vel circiter cōferatur, ne rerum à se gestarum rationē reddere cogantur? quomodo Cnidii in singulos annos sexaginta cives Amymonas, id est, omni exceptione & reprehensione majores creare sunt soliti. Ne sic quidē imperii majestatē & perpetuam potestatē propriè sic dictam transferri, & in Cnidiorū Amymonas translatam fuisse quisquam dixerit; cū depositum quasi apud se imperiū anno vertente populo restituere sint coacti. Adeoq; de omnibus illis, qui summa potestate, vel ad decenniū cum onere reddendarū rationū, vel ad annum sine reddendarū rationum onere fruūtur, verè quidē dici potest maximā illis potestatē cōpetere, summūq; illos magistratū gerere: summos verò Principes illos esse, dici nequit. Alius enim Princeps est, cuius ipsi sunt subditi: alius imperii dominus & possessor, cuius ipsi custodiā tenent. Ideq; judicandū de

 illis,

illis,quos Regni Regẽtes Franci appellãt, quibus vel ob infantiã, vel ob furorẽ vel deniq; ob abſentiã Regis vel Imperatoris, regni vel imperii cura ſubjicitur:ſive eorũ nomine, manu ac ſigillo leges,edicta,decreta,reſcripta,juſſa deniq;omnia ſanciãtur,ſive imperatoriũ vel regium nomen ac ſigillũ legibus ac mandatis proponatur. Inter utrumq; enim parum aut nihil intereſt. Quæque à Procuratore vel Curatore domini nomine geruntur,ab ipſo domino geri videntur. Procuratores verò & Curatores ſunt, qui curam imperiorũ & regnorum, Imperatorum & Regum loco ſuſtinent: Imperatores & Reges non ſunt: quemadmodum nec dominus eſt,qui domini negocium procuratorio vel curatorio nomine gerendum ſuſcipit. Porrò,quid ſi aliquam ſummæ poteſtatis particulam Populus vel Princeps legato,vel præſidi, vel alii,quouſq; vixerit, precariò concedat? ſatis né ſic perpetua poteſtas collata videbitur? Non quidem nego perpetuam poteſtatem hoc in caſu collatam dici poſſe: ſed per accidẽs id fit, non per ſe. Iamdudum verò dictum eſt,illam tantummodo poteſtatem verè & propriè perpetuam eſſe & dici,quæ per ſe tempore non definitur, quæque ſummæ poteſtatis effectum eſt proprium, non quæ ex ſummæ poteſtatis ſpeciali conceſſione, atq; ita per accidens,exiſtit. Utque aliàs accidentium ea eſt indoles, ne ſubſtantiam ſui ſubjecti tollant & evertant, ita eandem hoc etiam accidens retinet: neque facit,ut qui verè ſummam & perpetuam poteſtatem non habet,habere porro incipiat. Videri ergo poteſtas eiuſmodi perpetua poteſt, verè tamen perpetua non eſt. Quid denique ſi Populus alicui ſummam ac perpetuam poteſtatem, quoad vixerit,ſine ulla conditione & modo dederit? Subſiſto. Si enim poteſtas illa ſumma & perpetua, ſine magiſtratus aut legati, aut rectoris, aut curatoris appellatione, nec precario alicui data ſit, profectò, omnia omnino magiſtratus jura omnemq; poteſtatem non cumulativè ſed privativè eidem fuiſſe conceſſam fatendum erit,dicendumque,Populum

ſua

sua sponte, suo se imperio spoliasse, idque alteri sine conditione donasse, haud aliter, ac privatus aliquis pura donatione rei suæ dominium ac possessionem sine cõditione & modo in alterum transferre solet. Exemplo est Julius Cæsar, in quem Populus Romanus majestatem imperii, sine magistratus, sine legati, sine Rectoris, sine Curatoris denique appellatione transtulit, per eamque translationem imperii formam mutavit, quodque imperium democraticum prius erat, monarchicum porrò ut esset, fecit. De qua translatione ita scribit Justinianus *in §. sed & quod principi. Inst. de I. N. G. C. sed & quod principi placuit, legis habet vigorem, cum lege rhegia, quæ de ejus imperio lata est populus ei & in eum omne imperium & potestatem suam concedat.* Dicit Justinianus: Ei ET IN EUM; admodum eleganter, nervosè & concisè. Satis enim non erat, dicere, Ei, id est, Principi omnem potestatem populũ concessisse: id namq; cumulativè & communicativè poterat intelligi, & ad eum sensum trahi: Populum potestatem summam & imperii majestatem non à se abdicasse, sed eandem cum principe, tanquam cum imperii socio communicasse: quomodo sol lunæ splendorem suum communicat. Addendum verò fuit: ET IN EUM: scilicet populum: ut intelligeretur, etiam privativè prædictam summæ potestatis collationem à Populo in Principẽ factam esse, huncque sensum esse: Populum ita in Principem omnem potestatem cõtulisse, ut ipse solus imposterum ipsi etiam populo imperaret, utque omne imperium penes unum esset deinceps, non ut antea, penes omnes: essetque posthac monarchia, democratico imperii statu, exacta fatali eius periodo, in monarchicum transfuso. Venio ad potestatem legibus solutam.

LEGIBUS SOLUTA POTESTAS nihil aliud est, quàm potestas à nullo homine leges accipiens. Demonstratio eius similiter ex summa potestate dependet. Cùm enim summa potestas sit, quæ majori potestate, majoriq; imperio non definitur, quæque nemini præterquam immortali Deo obtemperat, ipsa ratio

unicuique dictitat, esse aliquam potestatem legibus solutam, quæ summæ potestatis effectum dicatur proprium, quæq; illi ut formæ formatum cohæreat. Ratio quæ hoc dictitat eiusmodi est. Imperare & leges condere, ut causa & effectum, ut forma & formatum sibi invicem respondent. Utque forma sine formato, & contrà formatum sine forma non est, ita etiam imperium sine legibus latis, latæ leges sine imperio non sunt. Deficiente itaq; causa, deficit effectum: deficiente forma, deficit formatum: deficiente imperio, deficiunt leges: deficientibus legibus, deficit obligatio ex legibus existens: deficiente obligatione, deficit persona obligata. Transferamus thesin ad hypothesin, hoc modo: Deficiente imperio in personam Principis ulli hominum cōpetente deficiunt leges eundem obligantes: deficientibus legibus Principem obligantibus, deficit obligatio: deficiente obligatione, quid superest? hoc scilicet, quod in quæstione versatur: Principem legibus solutum esse: vel quod idem est, Principem legibus obligatum non esse. Quodq; imperare & leges condere prædicto sibi respondeât modo, nemo ex Interpretibus nostris unquam negavit. Hoc saltem inter partes hæret dissidentes: An leges condere simplicis jurisdictionis, an potius meri imperii effectum sit proprium? quorum hoc Bartolo, illud aliis cōtra Bartolum & Bartolinos rectissimè placuit. Estque id etiam in ore omnium Interpretum: ei tantummodo potestatem condendi leges competere: cui jurisdictio & imperium competit, & per consequens, neq; Mercatorum, neque Sartorum, neque Sutorum, neque Laniorum, neque Pistorum, neque aliorum mechanicorum collegia, ut nec privatos quoslibet, legum condendarum facultatem habere, cum imperium & jurisdictionem nō habeant. Perperam verò dicerentur hæc omnia: perperam à remoto imperio, ad removendam potestatem condendi leges argumentum duceretur, nisi illa ipsa potestas cōdendi leges imperii effectum proprium esset. Quæro itaque ex Politicis

& Iu-

& Jurecõsultis omnibus, an sit aliqua potestas summa nullo majori imperio definita? Annuunt omnes. Quæro, an summam potestatem habeāt in Monarchia Imperator, in Democratia Populus, in Aristocratia Optimates? Annuunt hîc etiam omnes. Quæro, an nemo sit qui imperet in monarchia Imperatori, in democratia Populo, in aristocratia Optimatibus? Neminem esse, omnes dicunt. Quæro deniq; an solutus sit legibus Princeps, an solutus sit populus, an soluti sint Optimates? Negant pleriq;. Ridiculum verò est, probare antecedens, & negare consequens. Ridiculum est, affirmare & probare, esse potestatem summam, quæ nemini obtemperet, cui nemo imperet, cui legē nemo proponat, quam ulla lege proposita nemo obliget: & negare, esse aliquam potestatem legibus solutam. Ridiculum denique est, affirmare & probare, Principem summam potestatem habere, nullo majori imperio definitam: & negare, Principem legibus solutum esse. Indissolubile verò vinculum est, quo summam & legibus solutam potestatem ipsa ratio conjunxit. Indissolubilis consequentia est, quæ à potestate legibus soluta ad Principem legibus solutum procedit. Eritque indissolubilis eò usque, quousque tale formatum erit, qualis forma est. Majestas enim, id est, potestas summa, perpetua, legibusque soluta, Principis forma est, per eamque Princeps est, id quod est. Tolle majestatem, tolle potestatem summam, tolle potestatem perpetuam, tolle potestatem legibus solutam; non erit Princeps; erit Iustinianus: erit Carolus: & in summa, erit homo. Quemadmodum, si eruditionem à Paulo tollas, Paulus erit, Paulus eruditus non erit. Verumenimvero, ut concedant adversarii, legibus ab alio latis Principem solutum esse: suis tamen legibus eundem solutum esse negant. Ostendant verò mihi, quomodo suis se legibus obliget Princeps? quomodo sibi imperet? quomodo sibi obtemperet? quomodo seipsum coërceat? Aliud quod respondeant, non habent, quàm ita Principem sibimetipsi imperare,

rate, sibimetipsi obtẽperare, seq; ipsum legibus obligare, si velit? At, qualis obligatio hæc est, quę in obligati arbitrium confertur? Legibus equidem nostris obligatió ejusmodi incognita est. In legibus enim nostris ita obligatio definitur, quòd sit juris vinculum, quo NECESSITATE quis adstringitur ad dandum vel faciendum id, quod dari fierivè jus præcipit. Quale item imperium, quale obsequium hoc est, quod ex obsequentis volũtate dependet? Omnes, opinor, subditi, quorum est obedire, tale imperium optaverint: omnes Imperatorẽ talem exoptaverint, qui scilicet imperet, si obedire velint subditi, non imperet, si obedire nolint. Ego verò contra imperii & obsequii naturam esse dico, ex obsequentis voluntate utrumque vel alterutrum definire. Neque meum hoc est commentum. Pleni de eo sunt omnes Politicorum libri: plenæ historicorum omnium paginæ: plena oratorum μυεσθήκια: plenæ Poëtarum areulæ omnes. Quorum omnium verissima sententia est; non ideo obtemperare subditos, quia volunt, sed quia obtemperare debent, ideo velle eos debere; aut si nolint, cogi eos posse; siq; contra, quã oportebat, agant, pœnis locum esse. Si ergo Principes suis etiam subditi sunt legibus, ex necessitate subditi sunt. Quod si non ex necessitate, sed ex voluntate tantummodo subditi sunt, ne dici quidem subditi ullo modo possunt. Quid enim, si obedire legibus nolint? quid si legem, quam hodie tulerunt, brevi tempore elapso abrogare velint? anné sic legibus soluti dicentur? Credo. Idem ergo est, si obtemperare velint. Nulla quippe in voluntate est necessitas, nulla coactio, nulla denique pœna. Cogique voluntatem non posse, universaliter & simpliciter verum est, quicquid de coacta voluntate à plurimis non intellecta multi disputent: ad quam disputationem hoc in loco deveniendum mihi non est. Idque satis intellexit Vasquius, quando voluntatem suam servam sibiipsi neminem facere posse quodam in loco scribit. Idemq; non obscurè innuit Hermogenianus

genianus *in l.22.pr.ff. de legat. 3. dum ait: Neminem sibi legem dicere posse, ut ab ea recedere ei non liceat.* Duæ itaque toto cœlo inter se distinctæ sunt quæstiones: de voluntate Principis una, de obligatione altera. De obligatione si quæratur? nullam eam esse dico. De voluntate si quæratur? dico, ad verecundiam, modestiam, & bonitatem Principis pertinere, ne quod ex imperii lege, sive majestatis jure sibi licet, licere sibi patiatur: dico, eidem verecundiæ, modestiæ, & bonitati Principis convenire, ut cogitet, non omne, quod licet, honestum esse: cogitet præterea, non satis esse, ad immortalem & laudatam laudati nominis memoriam, quod sit Princeps, sed opus esse, ut & sit Princeps bonus: cogitet, se Principem esse ex lege imperii, bonum Principem ex conscientia & honestate: cogitet, dignum esse, & laudabile, si eodem jure, quo alios uti velit, ipsemet utatur: cogitet denique, dignam majestate regnantis vocem esse, legibus alligatum se profiteri.

Hæcque voluntas in bonis Pincipibus perpetua semper fuit. Quorum idcirco laudes ex hoc ipso capite à multis magnopere sunt decantatæ: quòd scilicet, cum legibus essent soluti, legibus seipsos subjecerint. Quæ certè laudes nullæ essent, nisi legibus reverà soluti fuissent. Laus siquidem ex eo quod facere teneris, si facias, nulla omnino quærenda est. Videant ergò, quomodo summæ potestati satisfaciant, qui contra potestatem legibus solutam disputant. Videant, ne sub ipsis quasi manibus summam potestatem amittant, dum potestatem legibus solutam è medio tollunt. Videant, ne eidem summæ potestati tanquam matri, pro filiabus legitimis, potestate scilicet perpetua & legibus soluta, adulterinum partum supponant. Videant, ne limpidissimos imperii & jurisdictionis fontes opinione sua perturbent. Videant denique, ne suam defendendo sententiam, Ulpiani & Justiniani authoritatem extenuent, ac pedibus quasi conculcent. Equidem

dem si falsum est, Principem legibus solutum esse: erravit Ulpianus *lib.13. ad l. Iul.Pap.* id affirmans: erravit Justinianus Ulpianum *in l.Princeps 32.ff.de ll.* secutus: falsa deniq; & erronea est *d.l. 32.ff.de ll.* sententia: Principen legibus solutum esse. Hæc enim legis illius verba sunt: *Princeps legibus est solutus: Augusta autem licet legibus soluta non est: Princeps tamen eadem illi privilegia tribuit, quæ ipse habet.* Absit verò ab Ulpiano, absit à Justiniano error: absit à d.l.princeps.32.ff.de ll. falsi ulla suspicio. Cumque non distinguat Ulpianus & post eū Justinianus, sed indistinctè, Principem legibus solutum esse, dicat, cùm etiam res ipsa distinctionem nullam recipiat: quid distinctionibus opus est? quid opus est, dicere, ex sententia Græcorum interpretum, pœnariis legibus Principem solutum esse? quid opus est, dicere ex sententia Cujacii, *15.obs.36.* caducariis legibus Principem non obligari? quid opus est, ad solennia juris solutam Principis potestatem cū Donello *1.com 17.* Corasio *2.misc.25.* Friderico Bruckmanno, *tr. de regalib p.1.§. soluta potestas, c.3.n.81.* & aliis, restringere? Quid denique opus est, ad distinctionem inter vim legis directivam & coërcivam cum Dominico Soto *li.1.de I.& I.q.6.art.7.* Covarruvia, *ad c.alma.p.1.§.1.n.4.* Gregorio de Valentia, *tom.2.com.theol. disp.7.q.5.punct. 4.* Fachinæo, *lib.1. controversiarum cap.2.* aliisque confugere? Idem profectò error est, dicere ex sententia Gothofredi *in d.l.princeps. 32.ff. de ll.& in Nov. 105.in fi.* Danæi; *in Politica Christiana;* & aliorum: Nullis legibus Principem solutum esse: & dicere, ex sententia Donelli, Cujacii, Corasii & aliorum: quibusdam legibus Principem solutum esse, quibusdam solutum non esse. Erroris utriusque mater eadem est, obscuritas nimirum, cui majestatis jura ab omnibus politicis scriptoribus involuta sunt: ut in exordio supra monui. Dubiumque mihi nullum est, neque Cujacium, neque Donellum, neque alios de majestatis jure, deque natura summi imperii, quicquam cogitasse, quando scripserunt; aliquibus saltem legibus, non etiam omnibus, Principem

cipem

cipem ſolutum eſſe. Ac quid quæſo reſponſuri ſunt Donellus, Cujacius, Coraſius, & alii, ſi quæratur ex ipſis, quare pœnariis, quare caducariis, quare ſolennium legibus potius, quàm legibus aliis ſolutus ſit Princeps? Quid item reſponſuri ſunt, Dominicus Soto, Covarruvias, Fachinæus, & alii, ſi quæratur, quare ad vim legis coërcivam potius, atque ita ad particularem legis effectum, quàm ad legem in univerſum ſoluta Principis poteſtas reſtringenda ſit? Imò quid reſponſuri ſunt, ſi generaliter ex ipſis quæratur, quare ulla lege Princeps ſolutus ſit? Neſcio equidem, quid reſpōdere voluerint aut potuerint, cùm in ipſorum ſcriptis nihil hac de re invenerim. Quicquid verò ſit, aliud profectò reſpondere non potuerunt, quàm, ideò Principem legibus ſolutum eſſe, quia ſumma ſit præditus poteſtate, quia nemo illi imperet, quia nemo leges illi proponat, & denique, quia ſibi ipſi imperare, ſibi obedire, ſibique manus ligare nulla ratione poſſit. Idque Vlpianus etiam & Juſtinianus procul dubio reſpōdiſſent, ſi de ratione *l. 32. ff. de ll.* ex ipſis fuiſſet quæſitum. Interrogati inquam, quare Princeps legibus ſit ſolutus? reſpondiſſent, quia ſumma ſit præditus poteſtate, ac ob id nemini obſequatur. Interrogati iterum, quare Auguſta legibus ſoluta non ſit? reſpōdiſſent ideò id fieri, quia ſumma poteſtate prædita non ſit, & omnino quia Imperatori ſubſit. Quæ reſponſio ſimiliter danda erit interroganti, quare magiſtratus legibus ſolutus non ſit? Ideò enim magiſtratus legibus ſolutus non eſt, quia maiori poteſtati ſubeſt, quæ ipſi imperat, quæ leges ei præſcribit, quæ denique eundem coërcet. Quod ſi maiori poteſtati non ſubeſſet, legibus ſolutus æquè ac Princeps dici poſſet. Quodque ſubſit maiori poteſtati magiſtratus, jamdudum probavi, quando ſummam poteſtatem ei non competere oſtendi. De Romanorum Dictatore, de Principibus Germaniæ, deq; aliis, quibus ſummam poteſtatem non competere, jamdudum demonſtravi, idem per omnia judicium eſto: legibusque ſolutam poteſtatem nemini illorum

competere, veriſſima ſententia eſto. Planè per ſe legibus ſoluta non eſt Auguſta: per ſe legibus ſolutus non eſt magiſtratus: per ſe legibus ſolutus non eſt Dictator: per ſe deniq; legibus ſoluti non ſunt alii jam enumerati: per accidens tamen, ut ſoluta ſit legibus Auguſta, ut ſolutus ſit legibus Dictator, ut ſoluti ſint alii, fieri poteſt. Verùm accidens hoc ſubjecti naturam non mutat. Semper enim verum eſt, neque Auguſtam, neque Dictatorem, neque magiſtratum, neque alios legibus ſolutos eſſe, cum nec ſumma poteſtate prædita ſit Auguſta, præditus ſit Dictator, præditus ſit magiſtratus, præditi ſint alii. Idque vult Ulpianus, quando in *d. l. 32. ff. de ll.* dicit: *Auguſtam legibus quidem ſolutam non eſſe: Principem tamen eadem illi privilegia tribuere, quæ ipſe habet.* Quaſi dicat Ulpianus: per ſe quidem legibus ſolutam non eſſe Auguſtam, per accidens tamen ſolvi eandem iiſdem poſſe: accidens autem illud eſſe ſpecialem Principis conceſſionem. Verè enim ſpecialis ejuſmodi conceſſio, tribuens Auguſtæ ſummam & legibus ſolutam poteſtatem, quam ſine ſpeciali conceſſione non habet, accidens eſt, efficitque, ut de Auguſta prædicetur, quod per ſe prædicari nulla ratione poterat. Quomodo & Cn. Pompeium olim lege Gabinia legibus ſolutum fuiſſe, poſteaquam extra ordinem datum ei eſſet imperium in annos quinq; ut adverſus Piratas bellum gereret ex Plutarcho didicimus. Verè enim poteſtas illa Pompeij per ſe legibus ſoluta non erat, quia ſummæ poteſtatis effectum proprium non erat: erat ex accidenti tantùm: accidens autem illud erat ſpecialis conceſſio ſive privilegium lege Gabinia comprehenſum, & à Populo ſpecialiter Pompeio tributum.

Audiviſtis, Auditores ſpectatiſſimi & præſtantiſſimi, quæ mea cum Bodino de ſoluta legibus poteſtate, deque propoſita quæſtione, ſit ſententia: audiviſtis, quibus ego legibus Principem ſolutum eſſe credam: cognoviſtis denique iiſdem me

limiti-

limitibus definire, potestatem summam, & potestatem legibus solutam. Limites summæ potestatis sunt tota hæc rerum natura: In ea enim nemo est, qui summo Principi, summam potestatem habenti imperet. Iidem legibus solutæ potestatis limites sunt. In tota enim rerum natura similiter nemo est, qui leges Principi præscribat, quibus obtemperet, ad quas imperium & actiones suas omnes conformet. Tantùm ergo civilibus legibus ab homine sancitis solutus est Princeps, solutus est Populus, soluti sunt optimates. De naturalibus & gentium legibus si quæratur? dico constanter, Principem iis solutum non esse: dico, naturales leges Principem abrogare & violare non posse: dico, non licere Principi movere terminos, quos Deus optimus maximus sempiternis naturæ legibus regit: dico, fas Principi non esse, Idololatricis cultibus indulgere, peierare, homicidia perpetrare, adulteria committere, bona subditis eripere, rempublicam deformare, statum œconomicum, ecclesiasticum, politicum, subvertere, dominiorũ distinctionem tollere: aliaq; divinis naturæ & gentium legibus cõtraria facere: dico deniq; pactis conventis Principem æquè ac subditos obligari. Estq; vox illa horrenda, monstrosa, diabolica, omnium homicidiorũ, parricidiorũ, incestuum, adulteriorũ, aliorumq; scelerũ à sceleratis Imperatoribus perpetratorũ nutrix & patrona, furiarum facibus digna, & ad infernales furias ableganda, quæ naturæ & gentiũ legibus Principem solvit, quę turpissima Imperatorum scelera peccatum esse negat. Scelerati sunt Imperatores, Imperatoris & Principis nomine indigni, vereq́ue tyranni, qui in naturæ & gentium leges imperium sibi sumunt, qui, quod libet, licere sibi putant, qui, dum bona, sine justa ratione, sine emptione, sine permutatione, sine præscriptione, sine successione, subditis eripiunt, dum adulteriis, parricidiis, homicidiis, incestibus, aliisq; nefandis sceleribus sese polluũt, satis sua se majestate defungi putant. O diabolicam verò majestatem: ô scelus: ô inju-

 riam:

riam: ô miseram rempublicam, tyrannis eiusmodi subiectam: ô accusationem æquissimam, contra tyrannos eiusmodi propositam: ô judicium justissimum, ad dijudicanda eorundem scelera institutum: ô testimonium verissimum, quo vincuntur: ô condemnationem æquissimam: ô supplicia denique dignissima, quibus scelerata illa Sathanæ catarmata plectuntur. Ubi verò accusantur Imperatores scelerati? In foro conscientiæ, adeoque in conscientia ipsa: à quo accusantur? à conscientia: cuius testimonio convincuntur? cõscientiæ, quæ mille testium loco est: à quo condemnantur? à cõscientia: à quo supplicium patiuntur? à conscientia. Conscientia ergo mala forum est: est actor: est testis: est judex: est deniq; carnifex, facibus, fune, rota, gladio, igni, sceleratas sceleratorum Imperatorum animas angens, crucians, torquens, & ad quoslibet desperationum angulos impellens. Hæc est, hæc inquam est, quæ Caligulam, quæ Neronem, quæ Vitellium, quæ Domitianum, qnæ Caracallam, quæ Heliogabalum, quæ Julianum Apostatam, quæ denique alios Imperatores sceleratos variorum scelerum reos postulavit, accusavit, proprio testimonio convicit, damnavit, supplicio affecit, & per tragicum vitæ exitum, perque fremitus horribiles ex Dei subsellio, id est, ex regiæ majestatis solio in diabolorum subsellia, inque gehennam ignis præcipites egit. O digna tyrannis eiusmodi subsellia: ô dignam ipsis aulam, quam non regia voce, sed gemitu & fremitu complcãt: ô verissimam funebrem illam, à Juvenali jam olim decantatam, & in tyrannorum omnium exequiis decantandam cantilenam:

*Ad generum Cereris sine cæde & sanguine paucos*
*Descendisse Duces, & sicca morte Tyrannos.*

Cæterum, an non contraria sunt, civilibus legibus Principem solutum affirmare, & naturalibus ac gentium legibus eundem solutum negare? Minimè verò contraria sunt: sunt diversa tãtùm, & ob id ex diversorũ natura in eodem esse subjecto nulla

ratione impediuntur. Civilibus legibus solutus est Princeps, quia nemo est, qui civiliter Principi imperet, & imperando civiles illi leges præscribat. Naturalibus & gentium legibus solutus Princeps non est, quia Deus illi imperat. Vbi ergo imperium, ibi lex, ibi obligatio ex lege, ibi obedientia, ibi pœna inobedientiæ proposita. Est verò lex naturæ lex Dei, à Deo ipso immediatè lata & hominum animis inscripta: quam non didicimus, accepimus, legimus, sed cum natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Est item gentium lex à Deo naturali rationi & naturæ impressa. Rectéq; id definit Justinianus *in §.1.Inst.de j.n.g.c.* quando jus gentium esse dicit, *quod naturalis ratio inter omnes homines constituit:* intelligens per naturalem rationem ipsam rationem humanam, quæ Principi non ut principi, sed ut homini inest, eundemque ab aliis non ut Principem à principe, à magistratu, à judice, à subdito, sed ut hominem ab homine, ut Petrum à Paulo distinguit. Quomodo verò, inquiet aliquis, naturalis ratio, ex sententia Justiniani gentium jus constituit? Dicam breviter. Humanæ rationis, sive animæ rationalis duæ sunt facultates: cogitativa & intellectus. Cogitativa est prior vis animæ rationalis organica, qua homo ad suas ipsius vires & actiones cogitando se convertere, earumque disquisitione per actum reflexum se & sua ipsius, tum etiam alia extra se constituta cognoscere potest. Utque aliæ facultates animæ suos habent affectus, suas item locomotivas: ita hæc etiam facultas, suum affectum, suamq; locomotivam habet. Affectus cogitativæ additus est amor sui & aliorum. In amore aliorum sunt hæc: amor cognoscendi statum aliorum hominum, tam eorum, qui nobiscū vivunt, quàm eorum, qui longè à nobis absunt: item amor societatis: fuga solitudinis: & denique cupiditas communicandi cum aliis bona nostra tam scientiæ quàm alia, quæ à Deo nobis sunt data. Locomotiva eidem cogitativæ addita, est vis communicādi cum aliis

hominibus ea quæ in animò à nobis sunt concepta: estq; vel generalis, in genere ad omnia interna tam cognita quàm appetita prodenda pertinens: vel specialis, ad certos tantùm affectus relata: illa est vis loquendi: hæc est vis ridendi & plorandi. Intellectus est altera vis animæ humanæ inorganica, per quam anima, etiam destituta corpore, esse suum exerit, omnia intelligens cognoscens & judicans: quæque cogitativæ præest, per eamque non aliter ac Rex quidam per Præsides & Præfectos suos vires inferiores, puta vim sentiendi & vegetandi gubernat, & ad agendum impellit. Affectus eidem additus est voluntas intensa, id est, vis eligendi & appetendi ea, quæ intellectui sunt congrua. Locomotiva eiusdem est voluntas extensa, id est, vis agendi, & ad agendum propria vi insurgendi seque extendendi & impellendi vires reliquas, impellendi cerebrum, ut moto & impulso cerebro, impellantur nervi, impulsis nervis, impellantur spiritus, motis spiritibus, moveantur musculi, musculis deniq; motis, moveatur caro, moveantur manus, si sit apprehendendũ, moveantur pedes, si sit eundum, moveatur lingua, si sit loquendum, moveantur oculi, si sit videndum, & sic de cæteris. Ut ergo ex humana ratione est, cognoscere & amare seipsum, & homines alios, communicare animi sui cogitata cum aliis, cõmunicare cum aliis bona sibi data: ita medium etiam per quod commodè alios cognoscere & amare, cùm iisq; colloqui queamus, ex eadem esse, eiusdemq; effectum esse, meritò dixeris. Medium verò illud est politica societas: est jus gentium, cui tanquã fulcro immoto omnis politica societas incumbit. Quòd jus, quamq; societatem ad eum finem naturalis ratio constituit, ut exitũ haberet amor erga homines alios animæ hominis cujuslibet saltem nõ monstrosi insitus: ut exitũ haberet vis cõmunicandi cum aliis ea, quæ à Deo singulis sunt data & concessa: ut deniq; exitũ haberet cum aliis conversandi cupiditas. Verè ergo naturalis ratio domus, pagos, oppida, civitates & urbes ædificavit, respu-

blicas

blicas instituit, regna denique & imperia constituit, & in summa, omnem omnino societatem tam œconomicam quā politicam peperit: legesque invenit, quibus omnia cum œconomicæ tum politicæ societatis membra ligamento quasi arctissimè constringi oportuit.

Stet itaq; sententia: *Naturalibus & gentium legibus nullo modo, civilibus legibus omnimodo Principem solutum esse*: stent eius sententiæ fundamenta: stet immotum Dei in Imperatores imperium: stet immota potestas summa, potestas perpetua, potestas legibus soluta: stet deniq; immota majestas. De qua nihil porrò dicam. Satis enim est, membra eius à me hactenus esse definita: satis est, cognita potestate summa, perpetua, legibusq; soluta, cōstare jam nobis, Civilibus legibus Principem solutum esse. Plura tamen de majestate, deq; majestatis jure, si quis scire desiderat, regalia majora & minora ob oculos sibi ponat: quęq; de iisdem ab Interpretibus nostris scripta sunt, legat: parum hoc: relegat: parum & hoc: in succum & sanguinem convertat: nihilq; erit, quod ad majestatem cognoscendam, ad cognoscenda majestatis jura, desiderare amplius possit. Quæ enim inter regalia vulgò numerantur, ea omnia majestatis effecta sunt propria. Majestatis proprium est, leges condere, interpretari, abrogare; bellum hostibus indicere, & finire: præmia & pœnas distribuere: privilegia conferre: nobilitare: legitimare: famæ restituere: academias condere: magistratus, doctores, magistros, licentiatos, poëtas, tabelliones creare, de sententiæ viribus cognoscere: extrema provocatione frui: nummis pretium, pondus, nomen & figurā præscribere: de ponderibus statuere: vectigalia ac tributa exigere: bona vacātia occupare: nundinas constituere: & si quæ sunt ejusmodi. Læsæq; majestatis crimen committit, qui unum ex prædictis omnibus, absque speciali Imperatoris concessione, propria authoritate sibi sumit: quo crimine nullum in republica est gravius.

Hæc, hæc majestas illa est, ex qua, velut ex limpidissimo aliquo

fonte,omnes omnino dignitates in subditos benè de literis, benè de armis,benè de republica meritos derivantur.Hæc illa majestas est, quæ omnia Imperia, potestates omnes suo splendore obfuscat. Hæc denique majestas illa est,ob quam Deos sese Reges & Principes nominanr. O sacram, ô venerandam majestatem: ô sacros Principes majestate illa præditos: ô sacrum imperium,cui leges,cui corpora,cui bona subditorum omnia altissimus subjecit. ô incogitantiam Innocentii III. Pontificis, qui in c.sollicitæ,ext.de major.& obedient.majestatem Imperatoria majestate maiorem sibi tribuit, dum suæ majestatis decus soli, Imperatoriam verò majestatem lunæ comparat, seque Imperatoribus tantò maiorem esse dicit, quantò Sol Lunam magnitudine sua superat.

Nihil jam restat, Auditores præstantissimi,de quo dicam:causa omnis dicta est. Si quid verò dicendum superest, ad contrariorum argumentorum refutationem id omne pertinet. In qua refutatione essem longior,si in præcedētibus potuissem esse brevior. Et vel ob id longior non ero,ne patientia vestra diutius videar abuti, néve tempus quod solennitatibus hac eadem hora peragendis debetur,dicendo insumam. Utque ad quatuor argumenta priori loco mihi objecta, uno respondeam verbo: ex separatis ea omnia esse,nec ad rem præsentem quicquam facere,dico. Facerent verò omnium maximè, dictamque sententiam impugnarent indissolubiliter, si omnibus etiam naturalibus, etiam gentium legibus Principem solutum esse, dicerem. Sic enim bipatentes portas libidini Imperatorum patefacerem:sic meam de soluta Principis potestate sententiam cum licita tyrannorum interfectione committerem: sic seditionum faces accenderem:sic rapinam, sic alia scelera tyrānorum probarem: sic denique à Deo damnatam, rationi contrariam, politicæ societati inimicam, omnium bonorum Principum auribus indignam, & ad infernales furias ablegandam sententiam defenderem.

derem. Absint verò à me hæc omnia. Absit illa ab animo meo sententia: *Etiam naturalibus & gentium legibus Principem solutum esse.* Quintum argumentum ab Augusta desumptum quod attinet: dico simpliciter: ab Augusta ad Augustum consequentiam nullam esse: nihilq; impedire, quo minus solutus sit legibus Augustus, utcunque Augusta legibus soluta non sit. Alio enim jure Augustus, alio Augusta utitur: quæq; potestas in Augusto est, in Augusta non est. Augustus summa & soluta legibus potestate utitur, quia nemini est subjectus: Augusta non utitur, utpote cùm Augusto sit subjecta. jure scilicet familiæ, quatenus uxor eius est, jure item reipublicæ, quatenus in eam non minus ac in subditos alios Imperium suum Augustus exercet. Estque inaudita vox illa, tum etiam politicis omnibus incognita: Majestatem imperii Augusto cum Augusta communem esse. Ac quid privilegio, quid speciali Principis concessione opus erat, si per se suo jure majestas Augustæ competit? Quid opus erat, dicere, per accidens fieri, quod per se fit? quid opus erat, dicere, per accidens, id est, per specialem Principis concessionem legibus solutam esse Augustam, si per se legibus soluta est? Quodque per accidens soluta sit legibus Augusta, abundè *d. l. Princeps. 32. ff de ll.* probat. Nihil exemplum Theodoræ, Justiniani, Augustæ me movet. Dem enim, Justinianum aliquoties in consilium eam adhibuisse: concedam, eiusdem instinctu aliquot eum leges tulisse: quod *de l. 4. C. de lib. præt.* nescio an audacter magis quàm verè affirmat Bodin. *lib. 5. de republ. c. 2.* ubi d. l. 4. non tam à Justiniano, quàm à Theodora latam esse dicit: concedam & alia prædictis similia. Quid sequetur? Hoc forsan, peccasse Justinianum, quod nimio plus Theodoram suam amaverit, quodque præ nimio amore in rebus & negociis, ubi non decebat, nimium ei tribuerit. Quemadmodum ob id Justinianum effœminatum & plus æquo uxorium nominant, Petrus Gregorius *47. Syntagm. 11. n. 2.* Stephanus Forcatulus *de occul. Jurispr. dial. 2. n. 5.* Ant. Faber,

*I. conject. tr.* qui & hoc in eadem vituperat, quod fœmineo sexui plus æquo faverit, cui nunquam satis consultum esse, bonus Imperator semper credidit. Sed odio mulierum forte Fabro, Gregorio, Forcatulo, aliisq; excidit, quod excidisse audivistis. Sextum argumētum à naturalibus legibus desumptum sequitur. An verò quisquam est, qui nullis omnino legibus Principem solutū esse credat, quia naturalibus & gentium legibus solutus non sit? an quisquam est, qui existimet, leges omnes civiles ex naturalibus desumptas, & naturales esse? Sunt equidem in omni jure civili præcepta juris naturalis, sunt præcepta juris gentium: sed sunt in eodem etiam civilia plurima: sique civilia nulla essent, sique naturalia in eo essent omnia, quomodo civile jus civitatis unius proprium dici ulla ratione posset? Vera ergo erit collectio: Quædam leges civiles sunt naturales, ex naturalibus desumptæ: Ergò quibusdam legibus civilibus Princeps non est solutus: non quod civilibus solutus non sit, sed quod naturalibus & gētium legibus solutus dici neutiquam possit. Quod si argumentum quis invertat, & vel ita concludat: Nullæ leges civiles sunt naturales: Ergo nullis legibus civilibus Princeps obligatur: vel ita: omnes leges civiles sunt naturales: Ergò omnibus legibus civilibus Princeps obligatur: totū nego. Falsum enim est, nullas leges civiles naturales esse: falsum item: omnes leges civiles naturales esse, ut paulò antè ostendi. Sequitur argumentum septimum ex inscriptione *l. 32. ff. de ll* petitum. Descripta est lex illa ex *libro 13. Ulpiani ad l. Juliam Papiam*, quę de Caducis erat lata. Inde ergo Cujacius acutissimi ingenii vir, cōferens nigrū cum rubro, legemq; ex inscriptione explicās, quod in eadem dicitur, Principem legibus esse solutum, ad caducarias lēges restringit, hisq; tātummodò Principem solutum esse dicit: ingeniosè quidem, sed nimis profectò divinatoriè. Quis enim credat, hanc Ulpiani mentem fuisse, Planè, si de caducariis saltē legibus cogitasset Ulpianus, nullo negocio caducarii

voca-

vocabulum addere, atq; ita particulariter loqui potuisset. Tantum verò abest, id Ulpianum cogitasse, ut potius particularem propositionem, quæ est, caducariis legibus Principem non obligari, ex universali, quæ est, civilibus legibus Principem non obligari, confirmare eundem voluisse, certò constet, saltem ex bona consequentia, quàm institutum Ulpiani *dicto libr. 13. ad l. Jul. Pap.* nobis suppeditat. Egit enim Ulpianus eo in loco de legibus caducariis, iisque Principem solutum esse, probare voluit. Utque probaret, tertio illi argumento probante erat opus. De quo solicitè Ulpianum cogitasse nullum est dubium. Commodius verò invenire non potuit hoc ipso, quod genus ei suppeditavit. Genus est: Principem legibus esse solutum. Quod si verum est, facilè obtinuit Ulpianus: Etiam caducariis legibus Principem solutum esse. Quicquid enim affirmatur de genere universaliter, id de qualibet specie generi inclusa affirmari necesse est. Neq; alia ipsi probatione opus fuit. Dubiumque non est, tertium illud argumentum, utpote χρινόμενον, multis dicto loco Ulpianum probasse. De quo constaret nobis plenius & rectius, si Ulpiani ad leges caducarias cōmentarii superessent integri. Ac ne ullo utar circuitu, illud mihi expediat Cujacius, aut quilibet alius Cujacii partes in se recipiens, quare caducariis potius, quàm aliis legibus solutus sit Princeps? expediat & hoc, an summā, an legibus solutam potestatem, & omnino an majestatem recipiat & probet? si probat, sibi ipsi contrarius est: si improbat, refutet: eritque refutatio eius prima. A nemine enim verissima Bodini, de summa, de perpetua, de legibus soluta potestate & majestate, sententia, hucusque est refutata. Ac quis non animadvertit, flagellari tacitè Justinianum à Cujacio, quod legem illam 31. particulariter ab Ulpiano intellectam, ut ipsi videtur, universaliter conceperit, & sub titulum de legibus similiter generalem posuerit? Quis item non videt, omnem de soluta Principis potestate quæstio-

nem ex Cujacii ſententia hodie ſublatam eſſe? Si enim caducariis tantummodò legibus ſolutus fuit Princeps, fruſtra de iis, utpote à Juſtiniano *per l.un.C.de cad.toll.* jamdudum ſublatis amplius hodie quæritur. Pergo ad *l.3. C. de teſtam.* cuius verba hæc ſunt. *Ex imperfecto teſtamento nec Imperatorem vindicare hereditatem poſſe, ſæpe conſtitutum eſt. Licèt enim lex Imperij ſolennibus juris Imperatorem ſolverit, nihil tamen tam proprium imperij eſt, quàm legibus vivere.* Inde ergo Donellus, Coraſius, Zaſius, Pruckmannus & alii eam confecerunt ſententiam: Juris quidem ſolennibus ſolutum eſſe Principem: legibus aliis ſolutum non eſſe: nimis item anguſtè & divinatoriè. Solennium enim *in d.l.3.* mentionem facit Alexander, eò quòd de ſolennibus in teſtamento requiſitis, inque propoſito teſtamento omiſſis, eſſet quæſtio. Neque id infrequens fuit Imperatoribus, ut ad hypotheſin, factique ſpeciem propoſitam verbis itidem ſpecialibus, &, ut ita dicam, hypotheticis, reſponderent, reſponſuri per theſin, ſi in theſi ex ipſis fuiſſet quæſitum. Quomodo plurimæ Codicis leges decreta potius ſunt, quàm edicta, hypotheſis, inquam, potius quàm theſis, uni potius perſonæ accommodata, quàm ſine perſonarum determinatione generalibus verbis concepta. Ex quibus ſi quis inferat, in aliis idem non eſſe, argumento à contrario ſenſu deducto, eum in jure multoties impingere neceſſe eſt. Ut enim argumentum illud à contrario ſenſu aliàs momenti ſit maximi, ex Codicis tamen legibus petitum momenti eſt minimi. Idemque de præſenti argumento Donelli, Coraſii, Pruckmanni & aliorum eſt dicendum. A contrario enim procedit argumentum, ſi dicas: Juris ſolennibus ſolutus eſt Princeps: Ergo aliis legibus ſolutus non eſt. Malè: cum contrarium in jure & ratione ſit fundatum; contrarium inquam quod eſt: Etiam aliis legibus ad alia quàm ſolennia pertinentibus Principem imperii lege ſolutum eſſe. Probat id *d.l. Princeps 32. ff. de ll.* quæ ſimpliciter & indiſtinctè Principem le-

gibus

gibus solutum esse dicit. Probat idem *l.14.de manumiss.* Probat denique id majestatis jus, quod imperii lex ab Alexandro in *d.l.3.C.de testam.* item lex Augusti, à Paulo, *in d.l.14 ff. de manumiss.* eodem sensu dicitur. Quin etiam illa ipsa *lex 3. C. de testament.* hanc sententiam expresse refutat. Dum enim Alexander ad hypothesin propositam respondens solennium meminit, mox legum etiam in genere mentionem facit, síq; speciem ex genere confirmat: ut, cum nihil tam proprium sit imperii, quàm legibus vivere Imperatorem utcunq; inde solutus sit, inde intelligatur, idē de solennibus dicendū esse. Ac dicat, quæso, mihi Donellus, quare solennibus juris potiús quàm legibus aliis solutus sit Princeps? tum etiam imperii legem, id est, majestatis jus ipsamq; majestatem & potestatem legibus solutam, utpote bonam & præcipuā eius partem, unà cum potestate summa, refutet. Si refutaverit, seipsum refutabit. Remota enim majestate nullis omnino legibus solutus erit Princeps, ne illis quidem, quibus Donellus cū soluit. Si refutare non poterit, stabit mea cum majestate sententia. Venio ad *l. ex imperfecto 23 ff. de legat. 3.* ex qua præstantissimus Jureconsultus Dionysius Gothofredus *l. 32 ff. de ll.* hoc modo interpretatur: quasi ea Ulpiani mens sit. Videri quidem Principem legibus esse solutum, verè autem solutum non esse: Sed præter Ulpiani, præter Pauli mentem, profectò. Etsi enim Paulus in allegata *l. 23. de leg. 3. Principem legibus solutum videri,* dicat, minimè tamen hoc vult, verè & propriè Principem legibus solutum non esse. Quid enim illa sibi volunt verba: *Inverecundum esse, si Imperator non servet ea quæ legibus præscripta sunt?* Quid item illa præ se ferunt verba: *decere tantæ majestati eas servare leges, quibus ipse solutus esse videtur?* Equidem, quod verecundiæ, quodq; decentiæ alicuius permittitur, juris necessitati subjectum nō est. Cur ergo non simpliciter dicit Paulus: Principē legibus solutum esse? cur dicit: solutum eum videri? Quia nimirum perinde est, & quia sensus idē est sive dicas, solutū

esse, sive, solutum videri. Qui enim solutus est, videri etiam solutus potest: quod si solutus non esset, ne videretur quidem. Sed vocabulum Videri impropriietatis notam esse dices? Aliquando id concedo: quando nimirum proprietas vocabuli subiectæ rei repugnat: quod hic metuendum non est. Responsio ad *l.4.C. de legib.* superest. Cujus verba sunt: *Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri: adeò de auctoritate juris nostra pendet authoritas, & revera maius Imperio est, submittere legibus Principatum: & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus:* Dicunt Imperatores: *Juxta leges se vivere.* Sed, an quia secundùm leges vivunt, legibus ideo soluti non sunt? Nihil minus. De eo enim ne cogitasse quidem Imperatores satis *d.l.4.C.de ll.* satis *d.l.3.C.de testam.* satis deniq; *§.fin.Inst.quibus mod.test.infirm.* probat. Dicitur in *d.l.4.C.de ll.* maius imperio esse, submittere legibus Principatum: dicitur in *d.l.3.C.de testam.* licet imperii lex, Principem ll. solverit: dicitur deniq; *in d.§ fi.* licet legibus soluti simus, attamen legibus vivimus. Quibus bellè admodum convenit, quod in Panegyrico ad Traianum Plinius scribit, ubi, se nunc primum audire, inquit, nunc primum se discere, non esse Principem supra leges, sed leges esse supra Principem. Quid ergo est? quis, inquam, d.l.4.C.de ll. sensus est. Uno dicam verbo: tanquam diversa ponunt Imperatores, Legibus solutum esse, & legibus vivere: At diversè dicta & scripta contrariè intelligenda & explicanda non sunt. Contrariè verò intelliguntur, si uno posito, removeri alterum dicatur.

Ita sanè jam, Auditores spectatissimi, probatis probandis, refutatisq; refutãdis omnibus, suffragia vestra conferte: judices æquos vos præbete: sententiam veram rectà animi æquabilitate pensitate: suum Principi summo tribuite: legibusq; civilibus eundem esse solutum, benevolè unà mecum statuite.

D. I. X I.

MISCELLANEA

# EX DECRETO ET AUTHORITATE AMPLISSIMI ET CONSULTISSImi Senatus Facultatis Juridicæ, in inclyta Marpurgensi Academia, pro Doctoratus gradu in utroq; jure consequendo, publicè ad disputandum proposita, ab

## ANDREA SCHEPS, BOLESlaviensi Silesio.

1 x. Julii, in Auditorio Jureconsultorum, horis consuetis.

THESIS I.

Justitia, secundum veram Justiniani & Ulpiani definitionem, pars est virtutis: virtus non est. Idemq; de prudentia, fortitudine, & mediocritate, judicium esto.

II.

Jus neq; ars est boni & æqui, ut vulgò Interpretes definiunt: neq; bonum & æquum, ut Conano, Corasio, aliisque videtur. Quid ergò? Præceptum virtutis.

III.

Jus naturale non est, quod natura omnia animália docuit. Atqui Vlp. & Justin. id affirmant? Varii sunt in explicādo Vlp. & Justiniano Interpretes. Mihi ex omnibus sola Donelli διάνοια placet.

IV.

Jus gentium cum naturali jure idem esse, Donellus putat. Sed quomodo idem esse possunt, quæ causa efficiente, quæ forma, quæ fine, quæ effectu, quæ subjecto, quæ objecto, quæ deniq; adjuncto differunt?

V.

Rectissimè sentiunt, qui jus gentium in primarium & secun-

 darium

darium distinguunt: pessimè verò labuntur, qui eandem distinctionem naturali juri accommodant.

VI.

Jus scriptum à non scripto sola efficiente causa distinguitur. Frustrà ergò, an scriptura ad formam ejus pertineat, quæritur.

VII.

Legem 2. C. quæ sit longa consuetudo, cum l.32. ff. de ll. varii variè conciliant. Omnes principium petunt. Quæritur enim an d.l.2. de consuetudine loquatur? Quod non admitto.

VIII.

Quomodo & quibus legibus solutus sit Princeps, variè explicant, Cujac. Don. Gothof. Danæus. Dom. Soto, Fachinæus & alii. Sola Dn. Vulteii & Bodini sententia vera est: Principem, ex lege Imperii, legibus à se latis, etiam hodie, solutum esse.

IX.

Statuta interpretationem recipere, affirmat Corasius: Negant Gail, Alc. & Dd. comm. Corasii sententia juri & rationi cōsentit.

X.

A civitatibus superiorem recognoscentibus sine superioris cōsensu statuta condi posse, putant Bolog. Schn. Coler. Alb. de Rosate, Seb. Med. & alii: Quibus cōtradicit Bartolus: Quem sequor.

XI.

Servitus, de qua in personarū jure agitur, nihil aliud est, quàm dominium servorum: eodemq; sensu dominica potestas dicitur: & in totum naturali juri contraria non est.

XII.

Legatus Proconsulis propriam jurisdictionem habet. Mirum ergò non est, si actus legitimus, si manumissio, si tutoris datio, suo ipsi jure competat.

XIII.

Jurisdictionem simplicem legibus esse incognitam, multi scribunt & dicunt. Quorum sententia aliis perquàm absurda meritò visa est.

XIV. Nul-

XIV.

Nullos homines talem in liberos potestatem habere, qualem cives Romani habent, Justinianus quodam in loco dicit, reprehensus à Bodino & Connano: quorum neuter Justiniani mentem assecutus est.

XV.

Matrimonium, ex æquissima Pauli sententia, sine patris consensu non contrahitur, contractum verò non dissolvitur. Justine igitur sunt liberi ex matrimonio sine patris consensu contracto & consumato nati? Cum distinctione justos esse, affirmo.

XVI.

Tutela non est potestas.

XVII.

Sitne potestas dandi tutorem magistratui competens jurisdictionis & imperii, vetus est quæstio, in utramq; partem à Dd. disputata? Affirmantium sententia verissima est.

XVIII.

Tutorem ab extraneo extraneis, à patre emancipatis, à matre liberis datum in testamento, & à Prætore confirmatum, alii dativum, alii testamentarium esse dicunt. Nemini adstipulor.

XIX.

Antequam mater & avia ad tutelam admittatur, opus est, ex sententia VValteri, ut omnibus privilegiis specialiter utraq; renunciet. Generalis ergò renunciatio non sufficit.

XX.

Deportatione non modò civitatem sed etiam libertatē amitti, Rævardus putat: Cui resistunt Dn. Vultejus, Duaren. Govean. Connan. & alii: quos sequor.

XXI.

Per emancipationem hodie caput minui, negat Donell. affirmat post Hott. Dn. Treutlerus: Affirmo & ego.

XXII.

Prodigo bonis interdicitur; à quo? à lege ne, an à Prætore? Il-

illud Donello, hoc Borcholdo, & Dd. communiter, mihi utrumq; placet.

XXIII.

An obligetur pupillus, sine distinctione explicari nequit. Aliter verò, ex sententia Accursii, distinguũt Br. Ias. Rober. & alii: aliter Donellus: aliter Eguin. Baro: aliter Corasius. Optima & verissima est Dn. Vulteii distinctio: obligari pupillũ, si locupletior fit factus, non obligari, si locupletior factus non sit.

XXIV.

Maritum ipso jure uxoris suæ Curatorem esse posse, nisi excusare se malit, Donellus putat: Cujus sententiam apertissimi juris textus refutant.

XXV.

Duo vel plures eiusdem rei in solidum Domini vel possessores esse non possunt.

XXVI.

Quælibet res, etiam sacra, etiam publica, etiam privata, diverso respectu alicuius est, & nullius.

XXVII.

Possessionem facti esse, prolixè disputat Donellus: Verior est Bartoli & Bartolinorum sententia, qui juris eam esse dicunt.

XXVIII.

Filiusfam. usufructuarius, colonus, maritus, emphyteuta, creditor, sequester, rem peculiarem usufructuariam, cõductam, dotalem, emphyteuticam, oppigneratam, sequestratã, verè & propriè possident.

XXIX.

Aedificium solo meo impositum propria authoritate destrui à me non posse, multis probare conatur Vaudus: sed frustrà.

XXX.

Res ab hostibus captas indistinctè occupantiũ fieri, Donellus docet. Reclamat Connan. Duar. Sarmient. Cujac. & alii. Ego à Donelli sententia non recedo.

XXXI.

Jus venandi in alieno, qualenunc apud nos est, quid sit, variè disputant Interpretes: VVesenb. personalem, Zasius realem, Zoanet.

net. jurisdictionalem servitutem esse dicit: Bruckman. regalibus annumerat: Ego servitutem personalem innominatam definio.

XXXII.

Bonæ fidei possessor omnes fructus tàm naturales quàm industriales, tàm perceptos quàm consumptos, etiam locupletior factus, plenè suos facit: post scientiam verò omnes restituit.

XXXIII.

Idē bonæf. possessor necessarias & utiles impensas deducit: voluptuarias tollit. Quod in malæfidei possessore aliter est: qui necessarias quidē impensas dedúcit, utiles verò & voluptuarias tollit.

XXXIV.

Id quod interest damnum emergens & lucrum cessans rectè definitur. Estq; ex vera Donelli sententia, unius tantùm generis, non triplex, ut vulgò Dd. existimant. Quodq; revera est, in certis quidē casibus certam quantitatem vel naturam habentibus dupli quantitatem excedere nequit, in incertis verò judicis arbitrio & definitioni committitur.

XXXV.

Usuras nec divinum, nec naturale, nec gentium, nec civile, nec Canonicum, nec novissimum Caroli jus omnimodo improbat.

XXXVI.

Servitutē usum rei alienæ definit Cujacius. Cui definitioni cōsequens est, omnem usum rei alienæ servitutē esse: quod probo.

XXXVII.

Servitutem habenti novi operis nunciationem competere Coras. disputat: A quo dissentiunt Duar. Cuj. Ræyard. Hottom. Gothofr. & alii: Corasium sequor.

XXXVIII.

Neq; urbanas neq; rusticas servitutes oppignorari posse, contra multos, rectissimè Donello & Duareno placuit.

XXXIX.

Mortuo usufructuario perceptos saltem fructus ad haeredē ejus

 trans-

transire, pendentes verò unà cum fundo proprietarii remanere, benè contra Cujac. Hart. Pist. defendit.

XL.

Dominum rei contra perfectam & consummatam præscriptionem in integrum restitui, si rem suam præscribi nesciverit, multi contendunt: A quibus rectè Pinelus dissentit.

XLI.

Jus luendi pignoris nequidem longissimo tempore præscribi, certum est.

XLII.

An per querelam inofficiosæ donationis in solidum rescindatur donatio, pro & contra disputant Interpretes? Affirmat A. Faber: Negant Schurff. VVes. Gail. Clar. Soar. & Dd. com. Quorum sententia æquior est.

XLIII.

L. si unquam s. C. de revocand. donat. singularem esse, & à Patrono perperam ad alios extendi, multis ostendit Donellus: Mihi contraria Connani, Boceri, Cuj. Borch. & aliorum opinio magis probatur.

XLIV.

Dominium rei dotalis ad maritum regulariter pertinere, aliquot argumentis evincere conatur Bocerus: Quæ tamen omnia tanti momenti non sunt, ut à contraria sententia dimovere aliquem possint.

XLV.

Mulieres in nullo, legatarii in quolibet testamento testes esse possunt.

XLVI.

Ob præteritionē liberorum testamentum ipso jure nullū est, etiā eo casu, quo præteriti sunt liberi, quos testator mortuos esse putavit.

XLVII.

Quo jure introducta sit inofficiosi testamenti querela, variæ quæstionis est? Quam aliter Cujac. aliter Donell. optimè omniū Dn. Vultejus definit, dum originem ejus tam civili quàm prætorio juri attribuit.

XLVIII.

Eadem inofficiosi testamētí querela, ex verissima Donelli sen-

tentia,

tētia, ab hereditatis petitione nihil differt. Frustrà ergò an cumulari utraq; eodem in libello possit, quæritur.

XLIX.

Hereditatis petitionem, itemq; rei vindicationē tam in loco domicilii quàm in loco rei sitæ, ipso jure, etiam contradicēte adversario, institui posse, uno quasi ore communiter hactenus tradiderunt Interpretes: à quibus malè Donellus divortium fecit.

L.

Fructus rei legatæ post moram regulariter deberi, benè post Costalium Oestenius docuit.

LI.

Accrescendi jus in verbali conjunctione locum habere, negat Cuja. negat A. Faber: Affirmant Dn. Goeddæus, Fumæus, Duar. & alii: quos sequor. Quid de conjunctione reali? In hac verò juri accrescendi locum esse, nego.

LII.

Mixtim conjunctos ab initio facere partes rectè post Zas. & Duar. Dn. Treutlero placuit.

LIII.

Jure Canonico filium fam. fideicommisso vel legato gravatū duas habere quartas, certum est. Quid de jure civili? Idem hoc etiam jure putant obtinere, Contius, Vac. à Vac. P. Gregor. Covar. & alii: Quibus sese opponunt Vaud. Hott. Cuja. Donell. Gothofr. Quorum sententiam textuum defectus probat.

LIV.

Fratrum liberi sine omni exceptione in capita succedunt, etiam tum, quando ex uno plures, ex alio pauciores supersunt.

LV.

Ex nudo pacto nulli jure civili datur actio. Quid de jure Canonico? Putant aliqui hoc jure ex quolibet pacto actionem dari: Quod secutus Bocerum & alios, non admitto.

LVI.

Mutuum à me petis: Ego nummos non habens rem tibi do,

 cum

cum pacto, ut eam vendas, & pecuniam ex venditâ rè quæsitam mutui loco habeas: quæritur an sit mutuum? Negant A. Fab. Connan. Cuj. Don. Pac. & Dd. comm. à quibus dissentio.

LVII.

Præferatur ne mulier ratione tacitæ hypothecæ creditoribus expressam hypothecam anteriorem habētibus, difficilis est quæstio? Negant VVesenb. Donell. & alii: Sed contraria Vaudi, & Vanderani sententia verior est.

LVIII.

De crimine capitali, excepto adulterio transigere licet. De crimine non capitali, excepto falso, transigere non licet.

LIX.

Dispositio l. si quis major 41. C. de transact. in terminis accipienda est. Errant igitur, qui ad omnē contractum, ad transactionem injuratam, ad mulierem, ad universitatem, & denique ad transigentis heredem, eam extendunt.

LX.

Eum qui purè promisit, eo ipso die, quo facta est promissio, cōveniri posse, negant Schneidevvinus, Gothofr. & alii: sed absque fundamento.

LXI.

Factū promittens præstando interesse liberatur. Quod in venditore aliter est, qui præcisè rem venditam tradere compellitur.

LXII.

Solum patrem ex sola dotis causa filiabus emācipatis utilem actionem stipulando acquirere, contra Cuja. & Duar. benè A. Faber, benè Donellus disputat.

LXIII.

Stipulatione pœnali priorē obligationem novari, multis persuasum est: à quibus rectissimè post Alciat. & Costal. Duarenus recessit.

LXIV.

Mulieres beneficio Senatusconsulti Velleiani nunquam, nulloq; modo & loco renunciare posse, Donellus putat: Alii renunciatio-

ciationem coram judice factam admittunt: Ego tàm judicialem, quàm extrajudicialem, modò scienter & prudenter factã, recipio.

*LXV.*

Fidejussor plus promittens ad summam à principali debitam obligatur. Moraq; rei principalis ejusdem in omnem causam fidejubentis obligationem auget.

*LXVI.*

Posit ne exceptio nõ numeratæ pecuniæ post biennium à debitore onus probandi in se recipiente opponi, admodum controversa est quæstio? Donello neganti, & negando à communi Dd. sententia recedenti adstipulor.

*LXVII.*

Eundem esse contractum, permutationem & contractum, do ut des, multi existimant: Quod alii rectiùs non admittunt.

*LXVIII.*

Ante factam traditionem omne periculum rei venditæ regulariter ad emptorem pertinet.

*LXIX.*

Beneficium l. 2. C. de resc. vend. emptori æquè ac venditori competit: transigenti non item.

*LXX.*

Merces locationis in qualibet re fungibili consistit: & ob calamitatem publicam fundi usum impedientem jure in totum vel pro parte remittitur: jure etiam ob immodicam ubertatẽ augetur. Utrumq; verò in emphyteutico canone aliter est.

*LXXI.*

Possit ne Dominus, aperta sibi emphyteusi, propria authoritate, neglecta judicis sententia, emphyteutam expellere, difficilis quæstio est? Affirmant Molin. Sich. Jas. & alii: Negant Corbulus, Borch. Guido de Suzaria: quorum sententia benignior est & æquior.

*LXXII.*

Emphyteuta expulso, quid de meliorationibus statuendũ sit, varia itidem quæstio est? Quam aliter, ex communi Dd. senten-

tia, Borcholt, aliter Fr. Sarmient. omnium optimè Molinæus definit, ſtatuens, omnes expenſas nudam ac ſimplicem debitæ meliorationis formam excedentes repeti ab emphyteuta poſſe.

LXXIII.

Eccleſiaſtica emphyteuſi in commiſſum cadente, dubium nõ eſt, celeri ſatisfactione purgari moram poſſe. An in civili emphyteuſi idem ſit, inter partes hæret diffidentes? Sarmientum affirmantem ſequor.

LXXIV.

Quomodò & quando in criminalibus cauſis Procuratori locus ſit, variè definiunt Accurſ. Bart. Briſſon. Fachinæus & alii. Puto Dn. Vulteii ſententiam eſſe veriſſimam: toties in ſingulis tàm publicis quàm privatis criminalibus cauſis procuratoriæ defenſioni locum eſſe, quoties damnari abſens poteſt.

LXXV.

Neq; aliud pro alio, neq; pars pro parte invito creditori rectè ſolvitur. Factaq; ſolutio ab alio invitum debitorem æquè ac volentem liberat.

LXXVI.

Poſſit ne ad certum diem debitum etiam ante illum diẽ creditori invito ſolvi, quæritur? Affirmat Donellus: Negat cum Cujacio Borch. Donelli ſententiam amplector.

LXXVII.

Compenſationem quantitatis cum corpore, aut corporis cũ corpore nullam eſſe, contra Duarenum, Coſtalius, Seb. Medices & Donellus rectiſſimè ſentiunt.

LXXVIII.

Cum certum corpus nummorum deſignatur veluti centum, quæ in arca habeo, quantitas videtur deberi itàquam ſpecies quædam: Quæritur itaq; an hoc in caſu compenſationi locus ſit? Locum non eſſe opinor.

LXXIX.

An debitor qui juravit ſe ſoluturum, objicere compenſationẽ poſſit, diſputant invicem Interpretes: Negat Hoſtienſis, negant

Cano-

Canoniſtæ communiter: Affirmat Bartolus: Cujus ſententiam Covar. & noviſſimè Fachinæus ſequitur: Sequor & ego.

*LXXX.*

Crimen læſæ majeſtatis cum perduellionis crimine idem nō eſt, & in ſolum Imperatorem ſive eum qui ſtatui præeſt, committitur: ejusq́; pœna etiam ad liberos, etiam ad conſcios criminis, quodammodo extenditur.

*LXXXI.*

Stellionatus crimen famoſum eſſe A. Faber exiſtimat: à quo inter ſe diſſentiendo diſſentiunt Cuj. Duar. Gothof. & Pac, Sola Pacii ſententia vera eſt.

*LXXXII.*

Perjuriū grave delictum eſſe, quilibet intelligit. Dubitatur, an certa aliqua ejus jure civili conſtituta ſit pœna? Quod rectè cōtra Robert. & Rævardum, Cujac. Donell. & Fachinæus negare vidētur.

*LXXXIII.*

Incertum & ad torturam minimè ſufficiens indicium eſt, ſagarum in aquam projectarum ſupernatatio: itemq́; ſanguinis effluxio, quæ fit, quando ad cadaver interfecti perſona criminis inſimulata adducitur.

*LXXXIV.*

Nullæ actiones quoad formam mixtæ ſunt: quoad effectum tamen & ſubjectum, quædam mixtæ dici poſſunt.

*LXXXV.*

Actiones præjudiciales revera perſonales ſunt, non reales, ut perperam plurimis perſuaſum eſt.

*LXXXVI.*

Ex jurejurando actio indiſtinctè non datur, quæ verò actori juranti datur, nova eſt, in factum, & ſola: actione ex eadem cauſa, de qua juratum eſt, locum amplius non habente.

*LXXXVII.*

Olim violenta in jus vocatione uti licuit: hodie nō licet: Olim propter violentam illam in jus vocationem ſine venia in jus

vocare quasdam personas nō licuit: quod hodie similiter est mutatum: olim pœnali actione in veniam negligentes constituta, quædam personæ utebantur: hodie nemo utitur.

LXXXVIII.

Minor juris Doctor procurando vel advocando læsus est: quæritur an danda sit ei in integrū restitutio? Dandam esse, Sarmiētus & Fachinæus putant: Quorum opinio aliis meritò displicuit.

LXXXIX.

Actio ex contractu, in qua defuncti delictum arguitur, in solidum in heredes datur, tametsi nihil ad eos pervenerit. Idemque in furtiva condictione obtinet. An & in actione rerum amotarū? Ita videtur A. Fabro: cujus conjectura nova quidem est, minimè tamen, ut opinor, legibus contraria.

XC.

Prædo possessione, quam vi adeptus fuerat, dejectus est: quæritur, an, ad recuperādam possessionem pristinam interdicto *unde vi*, experiri possit? Quod videtur.

XCI.

Dominus gesta à falso Procuratore, etiam post latam sententiā ratificare potest: Adversus veri Procuratoris gesta verò in integrum restitutionem frustrà desiderat.

XCII.

Judiciale juramentum est, quod à judice in causa civili vel criminali dubia, id est, semiplenè probata, etiam non petitum, cuā post conclusionem in causa, actori defertur.

XCIII.

Necessarium juramentum est, quod actor etiam nihil probās defert reo: quodq; reus suscipere aut referre cogitur, eo casu, quo referri potest. Quid si relationi locus non sit? Delationi adhuc locus erit.

XCIV.

Quando & quomodo in infinitū jurare liceat, aliter ex sententia glossæ Pacius, aliter Coraſius, optimè omnium Donellus explicat.

Feudum


XCV.

Feudum dare omnes posse, etiam mulieres, etiam minores, etiam clericos, etiam rusticos, dummodò rerum suarum administrationem habeant, communissima Feudistarum ferè omnium est sententia: cui subscribere non possum.

FINIS.

## RECTOR ACADEMIAE MARPURGENSIS, PHILIPPUS MATTHÆUS, J. U. Doctor ac Professor omnibus & singulis suæ fidei commissis

S. P. D.



*Raviter juxtà ac verè Vlpianus nobilissimus ille, ut à Modestino nominatur, legum vertex Jurisprudentiam artem sanctissimam appellat. Neq; enim aliud illa jubet, quàm quod Deus omnium hominum mentibus divinitùs insculpsit: nec quicquam prohibet, nisi quod rectæ rationi, ac communi hominum tranquillitati adversatur.* Unde *qui Jurisprudentiam contemnit, vincula revellit non modò judiciorum, sed pacis quoq; ac utilitatis publicæ: quin sublata Jurisprudentia, ut parens ille eloquentiæ Cicero refert, nihil est, quare cuiquam exploratum esse possit, quid suum aut quid alienum sit. Quam ob causam etiam Romanorum Imperator Lotharius, ejus nominis secundus, eos, qui bonam operã Jurisprudentiæ navassent, præ aliis honorari, tituloq; Doctorum solenniter insigniri voluit, ut sic plures alios ad eandem operam studio huic dandã invitare, eaq; ratione Reipublicæ quàm optimè consulere posset. Verè enim, qui præmiis merentes fraudant, ipsam virtutem è medio auferũt. Quod expendens amplissimus inclytæ huius Academiæ Senatus Juri-*

*dicus minimè committendum putavit, ut insignis & egregiè eruditus vir Andreas Scheps Boleslaviensis Silesius, petitis Doctura in Jure tàm Pontificio, quàm Cæsareo honoribus frandaretur: præsertim cùm ex more ac statuto hujus Scholæ non solùm theses, de selectis juris controversi quæstionibus ad disputandum propositas doctè atq; copiosè defenderit: sed in utroque etiam examine tàm publico quàm privato expectationi Dominorum Professorum abundè satisfecerit. Ut ergò singularis istius eruditionis cum insigni vitæ integritate conjunctæ fructum tandem caperet, ac plus fidei quoq; & autoritatis ad res forenses tractandas habere posset, Juris Consulti hujus Academiæ, consentientibus cæterarum Facultatum Professoribus omnibus, titulum Doctoris in ipsum crastina luce, si Deo visum fuerit, publicè conferre decreverunt. Qua de causa, omnes omnium Facultatum Professores, Doctores, Magistros & Studiosos hortamur, ut hora sexta matutina in Collegio Lani frequentes conveniant, sua præsentia inaugurationem istam solennem cohonestēt, hocq; ipso testatum faciant, se gratulari Respublicæ de tanto viro, cujus consilio ac virtute & Scholæ & Curiæ deinceps regi, vitaq; humana societas sarta tecta conservari possit. P. P. XXII. Augusti, Anno 1596.*

